CATENA AVREA VIRTVTVM EPISCOPALIVM ANATHEMA DIVINÆ GLORIÆ AD ARAS CÆLESTIVM GRATIARVM AFFIXVM,

Nec non

REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO S. ROM. Imperij Principi ac Domino, D.

FRANCISCO GVILIELMO

EPISCOPO OSNABRVGENSI ET VERDENSI, PRÆPOSITO RATISBONENSI ETc. COMITI DE WARTENBERG, DOMINO IN WALDT, &c.

Cum Anno Reparatæ ſalutis humanæ M. DC. XXXI.

NOVI EPISCOPATVS MINDENSIS NOVAM MITRAM, CLAVEMQ; SIBI A SANCTISS. D:N. VRBANO PAPA VIII. OBLATAM AB INVICTISSIMO IMPERATORE FERDINANDO II. Confirmatam, Acceptaret,

OBLATVM, AC CONSECRATVM

Ab eiuſdem ſuæ Celſitudinis

COLLEGIO SOCIETATIS IESV OSNABRVGI FVNDATO.

OSNABRVGIANIS TYPIS
In Officina Epiſcopali Martini Mannij.

Chronographicum duplex

SVSCIPIENDÆ A REVERENDISS: ILLVSTRISSIMOq; PRINCIPE

FRANCISCO GVILIELMO

MINDENSIS MITRÆ, AD TRIVM EPISCOPATVVM INSIGNIA ALLVDENS.

QVaM PhœbI, LVneqVe, gLobIs bene phryXVs aDhesIt,
TaM Rota IVnCta CrVCI CLaVIbVs apta CLVIt.



O M E N

QVADRVPLEX MAGNÆ FELICITATIS OMNIBVS ILLVSTRISSIMI subditis Ex eius Mysteriosissimis insignibus vaticinatum.

Ad iuga BAVARICO properanti celsa LEONI,
OSNABRVGIACÆ sunt Iuga vecta Rotæ.
Ne Labyrinthæis via tunc implexa mæandris
Obstet, adest NIGRÆ mox via certa CRVCIS.
Nunc ut BAVARICIS sint astra reclusa quadrigis,
MINDENSIS felix omine CLAVIS adest.
Felices quibus hisce ROTIS, quibus hocce LEONE
Per CRVCIS atra, VIAM CLAVIS ad astra facit.

P E G A S I S

AD BENEVOLVM ANAGNOSTEN.

DE VARIETATE CHRONOGRAPHICORVM.

MIraris varios Anagnoſtes temporis annos,
Quos Chronius ſpargit ſub mea metra DEVS?
Tres Hyemes, totideḿq; canunt Chronodiſticha Maios;
Dum Mindeniacæ miſſa CATENA mitræ eſt:
Poſt prius hos BAVARI cingit caput illa LEONIS,
WARTENBERGIACVM nobilitando genus:
Deſine. cunctantis ſunt hic myſteria Bunæ;
Fit mora, quo longas ſors ferat orta moras.
Hoc diuerſa vouent Chronodiſticha noſtra: ſuamq;
Sic FATA INVENIVNT non varianda VIAM.

SYLVA CHRONOGRAPHICORVM ADITÆ POSSESSIONIS MITRÆ MINDENSIS AB ILLVSTRISSIMO PRINCIPE.

Secundum Martyrologii Romani, & Euſebii ſenſum, In Chron:

CHRONODISTICHON I. AB ORBE CONDITO 6831.
AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM.

Fert MInDenIaCaM PIetas TIbI BoICa MItraM:
DIgnIVs haVD potVIt naM reperIſſe CapVt.

II. EIVSDEM ANNI, AD EVNDEM.

SaCrI HerIMbertVs CLaVes CoMMēDat o VILIs:
ACCIpe. seD DoMIno pasCe, reDVCqVe greges.

III. A NOANO DILVVIO ANNI 4789.
AD EVNDEM.

MInDa sVVM FranCIſCe tIbI bene CreDIt o VILe:
QVoD tVa non faLLIt, sCIt, BaVaræa fIDes.

IV. A NA-

IV. A Natiuitate Abrahæ Anni 3647.

AD EVNDEM I.P.

MInDensIs FranCIsCe peDVM CapePręsVLIs hV-
PeLLe VIgore LVpos, pasCet VosqVe gregeIs (IVs

V. Etiam ab Abrahæ natalibus, Anni 3647.

AD EVNDEM.

HæC MInDensIs habens noVa præsVL agaLMata CLaVIs
PanDe VIas CæLI CLaVIbVs Vrget oVIs.

VI. Ab exitu Moysis & Israelis ex Ægypto, Anni 1342.

AD EVNDEM I.P.

NVnC MInDenIaCI CLaVes tIbI tradIt oVILIs
ChrIstVs: oVes CVræ sI tIbI, Pastor aDes.

VII. Ab vnctione Dauidis in Regem, Anni 2664.

AD EVNDEM.

PasCe gregeM DoMInI Pastor bone: pabVLa qVęrIt.
Sana probant Patres: fers ea? Pastor erIs.

VIII. Ab vrbe vrbium principe nata, Anni 2384.

AD EVNDEM.

FVlget HerIMbertI faCto te PrInCIpe MItra:
LVgeat In tenebrIs, LVX nIsI parta foret.

IX. A Christi Natiuitate Anni 1632.

AD EVNDEM.

Marte fVrente noVI PræsVL tIbI DantVr honores,
TrIna tVæ frontI Læta tIara nItet.

X. A partu Virgineo Anni 1632.

AD EVNDEM.

BeLLona grassante sVbIs MInDensIa regna:
HIs VbI paX fIet parta, beatVs erIs.



AVREÆ CATENAE VIRTVTVM EPISCOPALIVM PRÆCENTIO ET CONNEXIO CVM OGMIO HERCVLE CHRISTIANO BAVARICO.

PARERGON I.

TArdarum ſatis eſt ohe morarum:
Ohe iam redeas ohe Libelle.
Quam nuper Dea calua, ſiue Cærus
Saturni ſoboles negauit ales,
Danda eſt AVREA Principi CATENA:
HERCLI BAVARICO Catena danda eſt,
Digna MINDENIO Catena PATRI.
Tardarum ſatis eſt ohe morarum:
Ohe iam redeas ohe Libelle.
Quam nuper properans leuis Camœna
OSNABRVGIACO PATRI ſpopondit,
Imo VERDENIO ſpopondit HERCLI,
Nouam cum tetulit CRVCEM mitratam,
Iam digno capiti Catena danda eſt.
Tardarum ſatis eſt ohe morarum:

Ohe iam redeas, ohe Libelle.
Tandem VIRGINEÆ bis octo DIVÆ
Nexas AVRIFERIS ſimul CATENIS
Exporgant patulo manus theatro:
Tandem SYMBOLA ſacra concinentes
VIRTVTES referant EPISCOPALES.
Tardarum ſatis eſt ohe morarum:
Ohe iam redeas ohe Libelle.
Iam fauſtis AQVILIS, APVMq; pennis
Princeps BAVARICVS, Nepos vetuſti
OTTONIS Bauari, DVCISq; primi,
FRANCISCVS GVILIELMVS Oſnabrugi,
Et Verdeniadum PATER Penatum,
MINDENSEM meritam tenet TIARAM.
Tardarum ſatis eſt ohe morarum:
Ohe iam redeas ohe Libelle.
Quid ceſſas, oculos ad umbilicum
Verſos circumagens remotiorem?
Metas fors nimium times remotas?
Hunc des Æolijs metum Tropæis.
Meta proximior CATENA ſola eſt,
Virtutum CHORVS eſt EPISCOPORVM.
Tardarum ſatis eſt ohe morarum:
Ohe iam redeas ohe Libelle.
Quæ ſunt auriflui Parerga vincli
Lethæis minime prementur undis:
Sed cum TERGEMINÆ breui TIARÆ
Seges denſior orta fors laborum,
Maior creuerit Ilias honorum,
Nouæ materies futura Muſæ eſt.
Tardarum ſatis eſt ohe morarum:
OHE NVNC REDIENS CANAS LIBELLE.

n est quod dudum R eferebant cælica fat A

S upremis illustre iubar tibi dantib



S trare: triumph

C aput Herc V leū illu

S ucceptos

S depellier agris Hær

D epromere gau

I ecta, sui

pfa Verda etiam sub


uartberg

sub ort

V esalutem. Hāc Osb

R estituendo decus, vi

O missus recludet



Et Circumfulgens laus Principis esse valebis.
Cum fulgore tuo furiæ stabit umbra Megæra,
Lucidus, & tenebras Erebæas discute, non sic
Ampliat. ô Fulge Victor Guilielme, velut sol

Cerberei mala dura canis pessundat; Erinnyn
Noxiferam Hæreseos magno expugnnndo labore :
Explicat inde suis Fidei noua lumina terris.

S ubde Luther

angue N

I orusc

E sup

I nductos

æcula gaud

ne BA

ie Titanis radios; velut auricomus so[L]   [M] semperque Fi..m, zelumque professus

[L]is dereo rursum iace plena nitor   [S]acrata ...artenbergiaco BAVARORVM sanguine claru[S]

[V]ndique faustis Affulget Fortuna roti[S]   [S]ua namque pius topiaria Iesus Mindeni[C]

[E] Indig Maximus eorum [D]   [I]ngredien auern aspirauit nigri luto [P]

[R]atosq; recessus Accũul[A]   [T]ia muneræ Pæst[I]

[N]osco sa[C]ros virtut[I]

Exultare decet: par est dare iubi[L]

[L]a totu[M]

[M]inda Tibi cælum iam militat, [V]

[E]tum IESVS, reuirẽtis & hort[I]

[I]ngreditur [G]ratosque sinus, g[R]

[D]ecce subit [S]

[A]ns superi

[T]æles

[I]s honor

nosco ag[N]



[I]mber, hyẽsq; atrox [A]

[A]bit, & Bor[E]

[E] alia cessant Flamina, quæ[P]

[C]o gnauum cultorem præficit hort[O]

[O]ptat

PARERGON II. CLAVIS MINDENSIS EPISCOPATVS INSIGNE.

PROGRAMMA

FRANCISCVS
GVILIELMVS
PRINCEPS.

ANAGRAMMA

PRINCIPIS LAVS ES
CIRCVMFVL-
GENS.

CHRONOGRAPHICON

ThefaVrI ftIrps BoIa tIbI ConCreDIta faCrI
CLaVIs aDeft, PatrIa CaVfa faLVtIs erIt.

EVOLVTIO ANAGRAMMATIS

FVlgida quæ noſtrâ radiat Lux Saxonum in aura?
An nouus exſurgit cæleſti lumine Titan
Nubila Cocyti ſplendoribus atra repellens?
Sic eſt: Cognoſco radios, & fulgida lucis
Sidera. Guilhelmus cæli lux inclyta Boî
Ille ille eſt terris Lemures qui mancipat vmbris
Saxonia pellens veteri graue dogma Lutheri.
Ignes huc ſacros omnes conuertit, & iſtic
Cerberei mala dura canis peſſundat; Erinnyn
Noxiferam Hæreſeos magno expugnando labore:
Explicat inde ſuis Fidei noua lumina terris.

METHODVS LEGENTI

Incipiunt, clauduntq; meræ Mea carmina gemmæ
Continuoq; fluunt: ſic Lege; vel Tua ſint.

CONTINVATIO EVOLVTIONIS.

PEr patriæ triplex Regnum, decus omne vetuſti
Imperii renouare ſtudens: iam fulgida cernit
Nubibus euictis dare cuntra ſidera Wicleff,
Falſiloqumque Luther, Caluiniq; impia? Princeps
Pſeudologos patria pellens hac noctis alumna,
Ac Caroli veteres leges, vetereſque ſacrati
Imperii reddens, Canoneſque Fidemque ſacratam
Ampliat. ô Fulge Victor Guilielme, velut ſol
Lucidus, & tenebras Erebæas diſcute, non ſic
Cum fulgore tuo furuæ ſtabit umbra Megæræ,
Et CIRCVMFVLGENS LAVS PRINCIPIS eſſe valebis.

PLAVSVS

AD EVOLVTIONEM ANAGRAMMATIS

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI FACTVS

ES CIRCVMFVLGENS LAVS PRINCIPIS *inclyta Boî:*

Non Tibi Laus, Laudi tu decus eſſe potes.

LABYRINTHVS APOLLINEVS, IN HORTO MINDENSIS EPISCOPATVS STRVCTVS.

Subde Luthere cristas, subde impia dogmata Wiclef E

V irgineos vestita humeros vrbs Minda, corusc I

Ecce tua in Patria Boium praenobile sanguine N

Exultare decet: par est dare iubi L

R ISus, ac hilari depromere gau D

M inda Tibi cælum iam militat, V

S depellier agris Hæreseos pes T E

E tum IESVS reuinctis & horti

S: ipsa Verda etiam sub I

Gratosque sinus, g R

Strare: triumph A gnosco ag N

Induĉtos coeli variabilis orbeis S

P rinceps est hic FRANCISCVS ab ort V

O missus recludet munere Princep S

O gnatum cultorem præficit hort O C

B it, auitũ Restituendo decus, vi R

E alia cessant Flamina, quæ P

Ne salutem. Hic Osbru G

A xor. hyeĝatrox I mber

Ingredien S

Sacrata M

N a quo S

N ia prisc A

E re sub ort

a e l e s T

E super i laude Patris exorabile nume

Dii Patriæ meliora fauent, hæc secula gaud

N Mi hortos sub Ille venit dignum, BAVARICO

Filum Ariadnes esto hæ literæ artificiales

FRANCISCVS GVILIELMVS DEI GRATIA EPISCOPVS MINDENSIS, OSNABRVGENSIS ET VERDENSIS.



EMBLEMA I.

Tres viden Hesperides OLEAMq;, FIDEMq; ferentes? Hæ dare BOIVGENÆ Tres potuere Mitras.

FACES INITIALI EMBLEMATI PRAELATAE.

REDIT Bauarus HERCVLES, fauete Pierides. Non fuit ille nuper manu missus à vobis, sed fuit sola laborum suorum laurea coronatus ad tempus; Virtutum vero Episcopalium Chorus, ob angustias & chartę, & temporis, in hunc locum, & occasionem reiectus: præsenserat enim quod iam in collata MINDENSI MITRA perfectum est, noster Enthusiasmus. Quod igitur felix faustumq; sit, adsunt TRES omnino HESPERIDES Arethusa, Ægle, & Hesperthusa Sorores, OLEAS manibus, PACEMQVE ferentes, & Herculi Poma aurea decerpenti iterato applaudentes. Neque hic veterem scenam animo concipite; nouam plane donamus. TRES virgines illę Sorores, veteris sunt Saxoniæ tres Ecclesiæ matrices. Omnium natu maior est Osnabrugensis: Verdensis altera, tertiam refert Ecclesia Matrix Mindensis. deferunt illæ Illustriss. PRINCIPI suo FRANCISCO GVILIELMO nouum plane honorem, deferunt Reuerendissimo EPISCOPO Mindensis Gregis venerationem, deferunt Optimo PATRIÆ PATRI cultum debitum, & amorem. Nihil amplius? Imo vero. Refert vna earum suauem diuinæ Prouidentiæ in nouo hoc constituto Principe dispositionem, & magnę Cælorum Reginæ, quam Princeps hic magnopere colit patrocinium, ac tutelam singularem: refert eadem triumphantem virtutum Episcopalium Chorum Illustriss. Principi honorem nouum gratulantem: refert illa ipsa totius CATENÆ nostræ AVREÆ originem, & constructionem. Plaudunt omnia nouo Principi, plaudunt nouo Patriæ Patri. Tu mi Lector, si bonum Ecclesiæ statum amas, eius etiam magno zelatori FRANCISCO GVILIELMO nouis honoribus coronato applaude, vel saltem, applaudentibus Musis nostris obsequiosis, honorem faue.

EPINICION

TRIVM MITRARVM HERCVLI BAVARO ACCLAMATVM.

ERgo iterum ALCIDES NOVVS alto à ſanguine BOIO
Inclytus, in laudum certamina dura nouarum,
Inque nouas oleas, alios virtutis in hortos
Mittitur, Herculeis iterum conatibus omnes
Corporis impenſurus opes, animique lacertos?
Ergo iterum virtus BAVARI exercenda LEONIS
Ad peſtes excita nouas, diroſque Dracones
Hæreſis Iſlebicæ, Gebennæique Furoris
Emicat, vt duros iterum ferat aucta labores?
Nunquam parta igitur geniali pace, quietum,
Tot debellatis Erebi, Fideique Chimæris,
Victori liceat caput acclinare LEONI?
Fœtibus auriferis nunquam matura grauatas
Exporget Pomona manus, calathiſque repletis
Aurea BOIARIO donaria deferet HERCLI?
Dij Patriæ meliora! neque exorabile cælum
Perpetuo claræ virtuti adamante rigeſcit.
Longe aliud PIPINIADIS conamina MAGNI,
Et tot HERIMBERTI grandes meruere labores.
Panditur auriferi tandem recluſa vireti
Semita, & ALCIDES BAVARVS MINDENSIBVS hortis
Immiſſus, grauidi turgentia bracchia ligni
Occupat: auratis cui mox Pomona caniſtris
Arboreos fœtus, pulchroſque effundit honores;
Auſibus eximiæ dignos Virtutis honores.

Cernis

Cernis vt vltro ſuis latebris, xyſtiſque relictis
Tergeminæ Heſperides veniant ad feſta Sorores
Ornatæ ramis oleæ, PACEMque ferentes?
Agnouêre ſuum Diuæ PATREMq;, Deumq;
Terrigenam, triplicemq; ardent præbere TIARAM,
Et triplices humeris imponere fortibus Ætnas.
OSNABRVGIADVM Mitras Arethuſa ROTARVM
Purpureis defert calathis: gratatur honores
VERDENSIS fuſcæ CRVCIS aſpectabilis Ægle:
Et MINDENIADVM Soror Heſperthuſa PENATVM
Herimbertæam defert lætiſſima CLAVEM:
Ac memor arcani nuper quod gnara futuri
In Paradiſiacis diuina PRONOEA viretis
Protulit è ſacro venturi codice ſæcli,
Vocibus his tandem taciturna ſilentia rupit.
Hic eſt ille Phanes fortunatiſſimus aſtro
Dudum exoptato, niueiſque iugalibus Orbi
Redditus, inuictis clarum qui niſibus HERCLEM
WARTENBERGIACO BOIORVM ſanguine cretum
Adducturus erat; cuius vigor inclytus oras
Saxonidum infeſtas veterum ſtygialibus Hydris
Hæreſeon, tetraque lue expurgare ſtudebit:
Et ſtudio fructus non reſpondebit inanis.
Nam Phlegethonteo mergendas gurgite prædas,
Illuſtres cælorum animas, ſuperiſque creatas
Pene pares, rutilo ſtatuendas reddet Olympo.
Namq; ſcio, & memini nuper quę Diua PRONOEA
In paradiſiacis ſecreta retexerit hortis.
Dij Tibi BOIE HEROS, ſuperûmq; Monarcha Deorū
Hos auſus pergant, meritoſque implere triumphos.
Dixerat: & tacito Reuerentia Sancta palato

Purpureis illapſa alis taciturna parabat
Preſſa verecundis innectere frena labellis.
Sed geminæ inſtabant ea ſenſa arcana Sorores
Noſcere, quidque Poli Regina, Solique futurum
Ore reuelaſſet; quæ fata effata fuiſſet.
Hic igitur forti Reuerentia victa precum vi
Virgineis labris, roſeoque receſſit ab ore,
Cæleſtumque viam fatorum hac voce recluſit.
Haud equidem vobis Diuum de ſtirpe Sorores
Magna futurarum myſteria condere rerum
Debeo, nec poſſum, ſaluis ſanctiſſimi amoris
Iuribus: ergo meis animos aduertite dictis;
Fata ſupernorum pandam ſecreta Deorum.
Nuper vt humentum Pater Ennoſygæus aquarum
Teutonici Proceres pelagi, totumque ſenatum
Naiadeſque Deas conuentu ſoluerat vdo;
Fors ſeptemgemini placuit per pinguia Nili
Oſtia ſecretos capitis deprendere fontes.
Ergo Parathonias poſt terga liquentia terras,
Et Crocodilorum Lageïa tecta ferorum
Linquentes, Paradiſiacos venêre ſub hortos.
Hic ſeſe Æoos Phœbi naſcentis ad ortus
Excelſis concluſa iugis viridantia tempe
Threïciam ſupra Rodopen, ſupraque niuoſas
Caucaſeas rupes, Riphæaque ſaxa Boræis
Peruia flaminibus, diffundunt æquore plano.
Illis perpetui vernantia germina Maij,
Perpetuos fructus, æternaque balſama florum,
Autumnoſque graues redimitos fronte racemos
Liber, & Alma Ceres, roſeiſque accincta caniſtris
Gratia Pomonæ, Zephyræaque Flora miniſtrant.
Nec locus Æolijs ſupereſt hic Fratribus: omnis

Eu-



Eurus abeſt, teterque Notus; nulluſque procellis
Africus, aut lanis Aquilo bacchatur aquoſis;
Tantum hic cæleſtes ſpirant zephyritides Auræ.
Quatuor in medio vitreis funduntur ab vrnis
Flumina, quæ varijs hortum complexa mæandris
In varios ſeſe exonerant Telluris hiatus.
Hæc per florigeri delapſæ marmora ponti
Naïades Diuæ, ſumpto virtutibus apto
Ore tiarigeris, medios labuntur in hortos.
Mox roſeos pandente ſinus Floraque, Deaque
Pomona ſuadente, ſolum, pictoſque receſſus
Accipiunt, teneriſque premunt topiaria plantis.
Vix ſacra conſiſtens Diuarum turba pudicis
Obuia luſtrarant oculis viridaria, cum mox
Ecce coruſcantis diducto ſyrmate nubis.

Maxi-

Maxima Cælorum patuit Regina, Dauide
Inclyta, Seraphicis circumgyrata miniſtris:
Cui terræ, cælique Sator de virgine collo
Dulce pependit onus, maternaque bracchia natus
Pulcrior aurati decorabat lampade Phœbi.
Talem OETINGANI Boiana anathemata TEMPLI
Agnoſcunt Dominam cæleſtia ſceptra ferentem;
Illius auratis cumulantque altaria donis.
Vt SACER hærentē medio CHORVS aggere Diuam
Senſit, ad amplexus ſubito properare vocatus,
Dulciaque ambroſio libare ſuauia Gnato
Geſtijt. inde latus dextrum pars vna, ſiniſtrum
Altera virgineæ gaudet ſtipare coronæ.
Hic Dea centoculo ſemper vigilantior Argo
Adfuit è turba Dominam comitante PRONOEA:
Et pedibus MAGNÆ MATRIS referentia rerum
Fata futurarum, clypeo comprenſa venuſto
Adijcit, exiguis pandens myſteria ſignis.
Mox noua Reginæ pedibus ſubiecta ſacratis
Symbola cernũtur: MINDENSIS agalmata CLAVIS
BOIARIVS comprenſa LEO tenet vnguibus, alti
Niſibus egregijs tollens ad ſidera cæli.
Aſpiciunt, gaudentque ſacræ ſpectare cohortes,
Miranturq; nouos cui Diuûm Mater honores
Apparet. Obſtupidis hærentes ſenſibus omnes
Sic placido Regina Deas affata palato eſt.
Progenies cæli ſacræ, mea gaudia, Nymphæ,
Felices peragraſtis iter, pompaſque celebres
VERDENICÆ fecit præſentia veſtra TIARÆ;
Gaudeo, quodq; MEVM decoraſtis honore CLIENTEM,
BAVARICVM ALCIDEM volup eſt mihi, laudo ſacratum.

Gymna-

Gymnada: grata etiam facto Regina labori
Abdita venturi pandam mysteria sæcli.
Cernitis hic BAVARVM solita virtute LEONEM
Arma coruscantem pedibus noua grandib⁹? ATRAM
Hacten⁹ ille CRVCEM tetulit, radiosq; ROTARVM
Purpureos, docuitque poli decurrere cliuos:
Nunc MINDENIACAS Illi cælestia CLAVES,
Certa futurorum transcribunt fata Deorum.
Hasce LEO inuictis gerit unguibus; hasce supremi
Ætheris empyrei regnis inferre laborat.
FRANCISCVS meus Ille cluit GVILIELMVS auitæ
BOIVGENVM stirpis magnum decus; Ille mearum
PRÆPOSTVS Domuum, quas OETINGANA coronat
Mitra Bauariacis non infima gloria terris.
Ille mei magnus Gnati ZELATOR honoris,
Deuotusq; Cliens mihi WARTENBERGIVS HEROS
Herculeis Mindense PEDVM, CLAVEMQ; lacertis
Deferet. his rabidùm contra ruet ora Luporum
BOIVGENVM de more PATRVM, pestesq; Draconis
Sopiet Islebici, Gebennæosque furores,
Dirum Acherontei scelus exclusurus Auerni.
Macte age CHARE CLIENS Bauara virtute potentes
Exere mentis opes; sic Te, sic Sanguine BOIO
Dignum ostende virum: quisquis Tibi sanguinis ardor
Prurit adhuc, sacrasque tuo sub pectore flammas
Excitat, ad Sacram MINDÆ conuerte TIARAM;
Curandoque Gregi Mindensis confer Ouilis.
Magna quidem consurget hyems, magnusq; procellis
Turbo subinductis, solidæ Constantia mentis
Robora concutiet; Tecumque micantia summos
Fulmina percellent montes; sed fixa supremi

Æter-

Æternant mandata Dei: Tibi fronte quieſcens
MITRA coruſcantes ſparget gemmata nitores:
Romulei ſic PATRIS APES, magniq; fauebit
GNESIVS Imperij, criſtaq; bifronte iubebit.
FATA VIAM INVENIVNT. nec plura Dauidica Virgo
Addidit; aſt læto teſtata eſt gaudia vultu.
Tunc ſacra virgineæ Diuûm decreta Coronæ
Cuncta prius patuère: ſtupent, totiſque medullis
Gaudia concipiunt: nec tum cohibere potentes,
Pectoris anguſti vallis effundere tentant.
Qualiter æquoreo Thaumantias ebria ponto,
Si Pater Hippotades Boreamq;, Notumq; remittat,
Fœcundoſque ſinus agitet Mareoticus Auſter,
In pluuios reſoluta globos mox depluit imbres;
Qui cum decurſu rapido de montibus altis
Vnanimes coeunt, per ſpumea ſaxa, ruboſq;,
Perque ſata ingentes fluctus torrentis aquoſi
Præcipitant, Cereriſq; Lares flauentis inundant:
Sic Cherubinæos vultus induta caterua
Plaudit ouans, hilariſque foras ſua gaudia fundit
Per Paradiſiacos late exundantia campos.
Hic pars fatidicam properat decerpere laurum;
Pars ſibi frondentem pacis detruncat oliuam;
Pars quoque curuatos pomorum pondere ramos
Virgineo reſecat fœcundis pollice malis.
Aſt lætum ſtudium reliquas exercet amœnæ
Chloridos: intexunt aliæ candentia rubris
Lilia mixta roſis: aliæ violaria tondent
Vnguibus, & Tyrias imitata papauera luces.
Te quoq; flebilibus mœrens Hyacinthe figuris
Narciſſumq; crocumq; metunt, & quidquid aprico

Effun-

Effundit gremio nunquam ſine munere Maius.
Hæc Calathis congeſta ſuis, manibuſue pudicis
Prenſa, coronatæ referunt ad feſta Sorores.
Moxq́ue pari feruore animi, zeloque flagrantes
BAVARICI ſimul effundunt ante ora LEONIS.
Et Mindeniacas CLAVEMq́; MITRAMQ; CATENA
Principis AVRATA Virtutum luce coronant.
Vnanimiq́; nouis adplaudunt voce triumphis.
Finijt his dictis Soror Heſperthuſa, ſoloque
Fuſa, triumphales BAVARO gratatur honores.
Mox etiam reliquæ prolapſæ in genûa Sorores
BOIVGENAM ALCIDEM Mindenſi CLAVE micantem
Affectu meliore colunt, ſimul iſta precantes.
Sic tibi BOIE LEO Mitrarum maximus omnîum
Arbiter æternis moderans regna omnia ſceptris,
Sic faueat, cumuletq́ue nouos virtutis honores.
I HERIMBERTO felix, CAROLOq́; vocante
Erige collapſas BOIA VIRTVTE Tiaras:
Et MINDENIACAM ſuſtolle ad ſidera CLAVEM
I felix, APIBVSq́; bonis, AQVILISq́; ſecundis,
Et fortunatos generoſi pectoris auſus
Exere, Romanæ FIDEI documenta vetuſtæ
Reſtituens, VITÆq́; Greges ad PASCVA ducens.
I felix memor Herculeæ virtutis auitæ,
Cælorumq́ue memor. totus Tibi militet Æther
Pronus, & acciti venient ad prælia Diui;
Vt Tibi perpetuas porgat Victoria Lauros.



PARER-

PARERGON IV.

AD CATENAM AVREAM

VIRTVTVM EPISCOPALIVM STIMVLVS.

AVREA nunc tandem VIRTVTVM perge CATENA,
Exere Mitratis vincula digna humeris.
VVARTENBERGIACI ſacras BOIIq; Tiaras
PRINCIPIS implicitis nexibus arcta preme.
Perge age morde humeros, Mitraſq;: nec ille doloris,
Arctior emeriti morſus honoris erit.

PARERGON V.

ÆNIGMATICON, OEDIPO PRÆMIVM, TENEBRAS, LVCEMQ; OMNIVM ÆNIGMATVM LOGOGRIPHORVMq; PROPONENS.

OEdipe ad arcanas Lynx te vocat ilicet umbras,
Quas tibi Septenis bis dedit ipſa ſtrophis.
Solue; nec à noſtrâ diſcedas ungue CATENA;
Illius in tenebris aſtra ſequenda micant.
Plëias una fere eſt: geminæ ſine felle Sorores:
Mella duo Fratres, fella ſed alter habet.
Androgynam dicas medium, Fraterq;, Sororq; eſt:
Non Soror hic geminas tollit in aſtra manus.
Nunc age, ſolue ſtrophas Muſarum has Oedipe cunctas,
Munus erit codex aureus, aut melius.



I. VIRTVS EPISCOPALIS
ORTHODOXA FIDES

Ad ſacræ FIDEI vocem, (SIC TOLLERE MANDO)
Mons volat in pelagus: vox ea nonne DEI eſt?

LVX EMBLEMATIS I.

PHILOSOPHVM fuiſſe Eudemum memorat Ariſtophanis Scholiaſtes, qui Phyſicôs quoſdam añulos aduerſus Dæmonum ſerpentiumq;, & id genus ceterarum peſtium poteſtatem, excogitarit, ſæpiuſq; in abigendis huiuſcemodi malis vſurparit: ſed periit malè cum ſuis annulis Artifex malus. Meliori Annulo inſignis venit in Arenam integerrima virgo FIDES orthodoxa: debellat Illa virtute Annuli ſui totas acies exercitus infernalis: perfringit omnes omnium Aduerſitatum cuneos ac phalanges: detriumphat diras Hæreſeôn Chimæras, crudeleſq; Eumenides. Miraris? maius dicam. Vna voce altis Saxorum, Marmorumq; radicibus firmatos Montes, tollit, & quaſi alatos Pegaſos leuiſſimè tantum impulſos in profundam Maris abyſſum demergit. Oraculum eſt ex tripode Æternæ Veritatis depromptum. Marc. 11. Habete Fidem DEI. Amen dico vobis, quia quicunq; dixerit huic Monti tollere, & mittere in Mare, & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunq; dixerit, fiet ei. O Deam potentem! Hæc planè eſt Epiſcopalis Virtus ab Apoſtolo requiſita, cum, oportere Epiſcopum eſſe amplectentem fidelem ſermonem, ait, ut potens ſit exhortari in doctrina ſacra, & arguere eos, qui contradicunt. Quis autem hoc faciat, niſi vir planè Eccleſiaſticus: nemo autem teſte ad Theoph: Hieron: ep. 62. Nemo inquã, magis eſt Eccleſiaſticus, quã qui nunquã fuit Hæreticus. Procul hinc ergo, procul nouas Hæreſeon Hydras parturientes: Non vobis hæc tenebrarum filiis, ſed Epiſcopo Mindenſi nouo, FRANCISCO GVILIELMO Laurus noua paratur, & ab Apolline noſtro, Heroi digniſſimo præſentatur.

LAVRVS I.

VIRTVTI I. EPISCOPALI, FIDEI ORTHODOXÆ, PORRECTA.

QVid hoc potentis, Sidera, roboris
Regnum vetusti nobile Saxonis,
Magnique Sedes VVedekindi
Ad veterem retrahit nitorem?

Ergone tantis Patria cladibus
Sepulta, magnis obruta montibus
Luth. Islebianæi Mimantis,
In reducem queat ire lucem?

Ergon' Typhoeus ille Gebennius
Ossæa celso culmina Pelio
Inferre nequicquam pararit,
Et tumidos modo linquat ausus?

Linquat. Fauentis vis iubet ætheris:
Pipiniani reddita CAROLI
FIDESq; mandat, orthodoxis
Irradians tenebrosa flammis.

Videsne? sacro nobilis ANNVLO
Osbrugianis Diua Penatibus,
Suscepta Verdensique Cælo,
Ad veterem redit axe Mindam.

Vecto BAVARIS axe LEONIBVS,
Osbrugianis imposito ROTIS,
Nexo CRVCIS iugo NIGRANTIS
Ad vitreum reuolat Visurgum.

Linquit

Liquit ſepulchrum montibus obrutum,
Specuſq; denſos, queis latuit decus,
Et TOLLIER iubens ſuperbos
In Pelagus iacit ore montes.

Montes ſuperbæ proruit Hæreſis,
Diram cerebri progeniem ſui:
Et quos Libido, quoſque partu
Impietas ſtygio recudit.

Infructuoſi cedite Gelboẽ
Montes, Gigantum tela Lutheridum,
Nil frugis æternæ feraces,
Non operum grauidi bonorum,

MINDENIANIS cedite MOENIBVS,
MINDENIANIS cedite RVRIBVS,
Nec vos benigni Ros olympi,
Nec pluuij Iouis vnda tingat̃.

Fides reſurgens (dum gerit aureas
MINDÆ tiaras Boicus Hercules)
Exeſſe cogit, vt reportet̃
Sidereas opulentitates.

Gens Carolini peruetus ImperI
Mindenſe vulgus credite, vos FIDES
Hæc Sancta, BAVARVSq; PRINCEPS
Æthereis opibus beabit̃.

Hæc Charitati nixa potens Fides,
Et Charitatis plenus hic Hercules
Gazas reducet; Charitas eſt
Omnipotens, Fideique Virtus.

B 2 PROSPHO-

PROSPHONEMA

AD CLAVEM, EPISCOPATVS

MINDENSIS INSIGNE.

CLauis Herimberto quondam concredita Diuo
Vidimus æthereos te reſerare polos.
At poſtquam Iſlebici peſtis tibi ſæua Draconis
Intulit Hæreticæ toxica plena luis;
Cælorum Tibi porta FIDES ſacra defuit: & qui
Te reſerare queat ſidera, nemo fuit.
Nunc Tibi cæleſtis Fidei ſacra porta reſurgit,
BAVARICVSq; poteſt Ianitor eſſe LEO.
Quid metuis? fortis Tibi ſunt ſuſpecta LEONIS
Robora? tolle metum geſtat in ore fauum.
Robora crudeles Patriæ LEO ſurget in hoſtes,
Qui vult ſubiectos paſcere melle greges.

PROBLEMA ÆNIGMATICVM

HONORI ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS

MINDENSIS OBLATVM,

Atq; Oedipo ex præſenti materia diſſoluendum.

DIc vbi me Dauid comitem, Dominiq; perempti
Fert manus? aut putei proxima ſeruo latus?
Queis humeris pondus tetuli? ſub piſce recepta
Cui retuli Mitram? ſum Comes vſq; Mitræ.

CHRONOGRAPHICON DVPLEX.

AD PALATIVM ORTHODOXÆ FIDEI

AFFIXVM.

QVI BaVarVs PræsVL MInDensI eſt Paſtor oVILI
HVIC FIDEI pVræ MItra VenVſta VIget.

II. VIR.

II VIRTVS EPISCOPALIS
SPES IN DEVM.

Dum tua sidereo desigitur Anchora Phœbo,
SPES tua sub Christi pectore FIXA BENE est.

ILLVSTRATIO EMBLEMATIS II.

ADESTE, adeste decumanæ periculorum procellæ, ruite imbres in caput, dura Boreæ flabra furorem exerite, tonate cæli, micent fulgetra, voluantur ab alto fulmina, pandant se ante oculos naufragantis vortices, latrent Scyllæi canes, Charybdes extremas mortis sortes minentur, nihili facit omnia Iaponensis Episcopus Franciscus Xauerius. O fortem! ô constantem virum! At quod istud est, quod ei robur, & æs triplex circa pectus insurgit? Sub qua Ille Lauro intacta fulmini delitescit? Robur, Æs, Laurus, Nauis, Clypeus, Omnia Xauerio sunt sola de bonitate DEI FIDVCIA. In hoc Ille immensi luminis Sole firmam figit salutis securæ ANCHORAM: hac confirmatus ridet omnes sali, cæliq; iniurias, In vnum caput suum proruentes: hac adiutus de totis aduersitatum Castris gloriosus triumphat, verumq; experitur, quod libro 2. hom. 17. Romanus Gregorius asseuerat. SPES cælestium mentem solidat, ne cócutiatur fluctibus tumultuum terrenorum, de qua & per Apost: dicitur Heb: 6. quam sicut Anchoram habemus animæ tutam, ac firmam. Eodem huc illud eiusdem Ecclesiæ Doctoris collimat, lib. Moral. 6. c. 16. aientis. Ab hac Spei virtute in æternitatem animum erigi, & idcirco nulla mala exterius, quæ tolerat homo, sentiri. Quid ita? sensusne ergo expertem hominis mentem Spes reddit? minime vero, sed Isaia teste cap. 4, Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient: Et quos decumanis persecutionum fluctibus obrutos iurassemus, hi manu Spei in cælos vsque sublati, inferioris fortunæ omnis duras vicissitudines despicient & contemnent. Hæc est ILLVSTRISSIME PRINCEPS FRANCISCE GVILIELME, hæc omnino Diua est, quæ Tibi in tot aduersis Patriæ huius procellis solatio fuit & auxilio; Cur ergo ab eius Laureola Tibi communicanda cessemus? Age Pimplæa hanc digno Capiti crispa & applaudens circumda.

LAVRVS II.

SPEI, SECVNDAE VIRTVTI EPISCOpali porrecta.

COcyto reduces Tartareo truces
Crines anguicomos spargite Erinnyes;
Accensus stygio sulphure titio
Armet pestiferas manus.
Si summo placeat Cœlicolum Patri,
Ianalis pateat porta frementibus
Bellorum Furijs: Hæresis impiæ
Bellum sanguineum furat.

Munitus tunica Mars adamantina
Vibret fulmineum ſæuus acinacem
Iungat funeribus funera, qualibus
Tecta eſt STELLA Bohemica.

Pallas Gorgoneam non minus effera
Parmam concutiens ſpicula proruat;
Et conferta nouis funeribus gemant
Mœni flumina turbidi.

Rurſum Statloniæ prælia VVeſtphalæ
Vicinos Patriæ concutiant lares;
Oſnabrugiacis vel reboent iugis
Æris fulminei tubi.

MINDENSES etiam Mulciber INFVLAS
Flammis contaminet depopulantbus;
MINDENSIS Bauarus Præſul EPISCOPVS
Nunquam pectore concidet.

Illi fixa DEO mens ſtabili loco eſt:
Hoc illum docuit neſcia luctuum
SPES è ſidereis nata Penatibus,
Spes ſummi ſoboles Patris.

Hac ſe Iaponiæ magnus Apoſtolus,
Hac ſe Xauerius Sanctus Epiſcopus
Firmabat grauibus cladibus obrutus
Terræ, vel tumidi maris.

I nunc Orce tuum (ſi rabies volet.)
Dilatata barathrum: dira vome omnia.
SPES fundata DEO Principis optimo
Peſtes ſub pedibus premet.

PROSPHO-

PROSPHONEMA EPIGRAMMATICVM.

AD NOVVM PRINCIPEM MINDENSEM NOVIS ONERIBVS HVMEROS subiicientem.

POrge humeros FRANCISCE Tuos, vti cælifer Atlas:
Pluribus hinc Virtus ſufficienda polis.
Oſnabrugiacum geſtaſti fortis Olympum,
Inq; ROTA leuius robore pondus erat:
Hinc Verdeniacum ſubeunt Tua robora Cælum;
Viribus aſt leuior CRVX quoq; NIGRA fuit.
Cælum etiã datur aſtrigerum MINDENSE ferendum,
Cuius habet CLAVIS pondera magna ſatis.
Macte age BAVARICVM per fer data pondera ſanguen
Si ſit onus quod fers, crede ſequetur Honos.

ÆNIGMA THEOLOGICVM.

MINDENSI EPISCOPATVI PROPRIVM, ET AFFIXVM.

QVod ſine fine patet, ſed non ſine fronte reuelo,
Eſt mulier, ſed ei, nec caput atq; pedes.
Hæc mulier ſimilem ſibi vult, inclamat, habetq;:
Meq; bonus dextrâ Nuncius(at quis?) habet.

ETEOLOGICON, ADVERSITATIS ALEXIPHARMACVM DOMVI LVCTVS Et bonæ Spei Affixum.

OBrVerIs fato? tIbI SPES eſt anChora fIrMa.
TVtIor an portVs Spe qVeat eſſe? DeVs.

III. VIR.

III. VIRTVS EPISCOPALIS
CHARITAS ERGA DEVM.

Vox noua cordis ea est transfixi A VVLNERE PASCOR:
Quisquis id ex imo pectore clamat, amat.

EVOLVTIO EMBLEMATIS III.

VERVM est prorsus diuinorum Canticorum sanctissime Psaltes, verum est, quod olim sapientissimè Cantic. 8. cecinisti, Fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; Lampades eius sicut lampades ignis & flammarum; aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Sacrum hoc Charitatis Hieroglyphicum Phœbus noster in monte Ætna, & in corde transfixo adumbrauit. Vides Ætnam immanem oris hiatum expandere? Vides globos flammarum in cælos eructare? Vides ingentes Saxorum moles, arenam, vaporesq; euomere? Vides missam è cælo sagittam latissimo simul ac profundissimo vulnere mediam cordis sedem penetrare? Charitas est quidquid vides. Audis ipsum Ætnæ barathrum, Audis ingentes flammarum vortices, Audis transfixum medij cordis sinum succlamantem A VVLNERE PASCOR? Charitas est quidquid audis, Charitas est erga DEVM Opt: Max: bonorumq; pelagus planè inscrutabile & immensum. Quid enim? Putasne vndis, arena, saxis incendia charitatis obruantur? Oleum hæc flammæ addunt. Arbitraris telis, crucibus, vulneribusq; iteratis Spiritum charitatis opprimi? Ab ipso SVMIT opes, animosq; ferro. Audite vnam aliquam accensæ charitatis Ætnam mirabili fremitu insonantem; Audite Paulum de Episcopali solio mitratis Collegis plusquàm Athleticè acclamantem: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Ecce vndas, ecce saxa, ecce arenarum montes, ecce tela mucronesq;, ad sopiendos charitatis ignes congestos. Quid tandem totis istis conatibus est effectum? Pergit ignes eructare os Ætnæ. Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neque futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare è charitate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro. O flammas! ô incendia! satis est, satis òhe Apostolici amoris O Apostole. Satis Episcopalis charitatis O magne gentiũ Episcope Paule. Quod superest, tu etiam Aganippis aliquas eiusdem charitatis prunas super noui Mindensis Episcopi mitratum caput aggrega, eiq; meritam charitatis palmam exhibe.

LAVRVS III.

CHARITATI DEI TERTIAE VIRTVTI Episcopali oblata.

SEmper Ætnæos vehemens caminos
Ignis exercet, Steropesque quantum
Fulmini impendit Iouis, Ætna tantum
Pectore reddit.

Æolus contra velit arma ferre?
Suscitet ventos, zephyrum, tropæos,
Cum Noto Caurum Boreamq; totis
Mittat ab anrtiis: antris

Pror-

Prorsus Astræi nihil hic furores
Egerint contra Siculos Caminos:
Imo plus crescet stimulatus atro
Mulciber Austro.
Cærulæ coniunx velit Amphitrites
Humidus toto reparare ponto
Bella Neptunus, liquidoq; contra
Ire Tridente?
Vertat ingentes furiosus vrnas,
Et vadis totum Pelagus refusis
Sæuus effundat; nihil his potentes
Sopiet ignes.
Talibus flagrat facibus, Deorum
CHARITAS munus, soboles Tonantis:
Flagrat, & magnis ferit alta cæli
Sidera flammis.
Mole dirorum Nemesis malorum
Obruat? tetri Furiæ barathri
Impetant cunctæ? quatiantq; totis
Flagra lacertis?
Quidquid est, viuo superabit igne
CHARITAS duris animata flabris:
Et quibus constat Dea, Seraphinos
Nutriet ignes.
Hęc Tibi Mindę Dea GVILIELME
Spiritus addet; Tibi grandiores
Exeret flammas, licet ipse totus
Obstet Auernus.
Sic decet magna face CHARITATIS
INFVLÆ magnos imitari honores:
CHARITAS certum viget æuiterni
Semen honoris.

PROSPHO-

III. VIRTVS EPISCOPALIS
CHARITAS ERGA DEVM.

Vox noua cordis ea est transfixi A VVLNERE PASCOR:
Quisquis id ex imo pectore clamat, amat.

EVOLVTIO EMBLEMATIS III.

VERVM est prorsus diuinorum Canticorum sanctissime Psaltes, verum est, quod olim sapientissimè Cantic. 8. cecinisti, Fortis vt mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio; Lampades eius sicut lampades ignis & flammarum; aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Sacrum hoc Charitatis Hieroglyphicum Phœbus noster in monte Ætna, & in corde transfixo adumbrauit. Vides Ætnam immanem oris hiatum expandere? Vides globos flammarum in cælos eructare? Vides ingentes Saxorum moles, arenam, vaporesq; euomere? Vides missam è cælo sagittam latissimo simul ac profundissimo vulnere mediam cordis sedem penetrare? Charitas est quidquid vides. Audis ipsum Ætnæ barathrum, Audis ingentes flammarum vortices, Audis transfixum medij cordis sinum succlamantem A VVLNERE PASCOR? Charitas est quidquid audis, Charitas est erga DEVM Opt: Max: bonorumq; pelagus planè inscrutabile & immensum. Quid enim? Putasne vndis, arena, saxis incendia charitatis obruantur? Oleum hæc flammæ addunt. Arbitraris telis, crucibus, vulneribusq; iteratis Spiritum charitatis opprimi? Ab ipso SVMIT opes, animosq; ferro. Audite vnam aliquam accensæ charitatis Ætnam mirabili fremitu insonantem; Audite Paulum de Episcopali solio mitratis Collegis plusquàm Athleticè acclamantem: Quis nos separabit â charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Ecce vndas, ecce saxa, ecce arenarum montes, ecce tela mucronesq;, ad sopiendos charitatis ignes congestos. Quid tandem totis istis conatibus est effectum? Pergit ignes eructare os Ætnæ. Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neque futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare è charitate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro. O flammas! ô incendia! satis est, satis òhe Apostolici amoris O Apostole. Satis Episcopalis charitatis O magne gentiū Episcope Paule. Quod superest, tu etiam Aganippis aliquas eiusdem charitatis prunas super noui Mindensis Episcopi mitratum caput aggrega, eiq; meritam charitatis palmam exhibe.

LAVRVS III.

CHARITATI DEI TERTIAE VIRTVTI Episcopali oblata.

SEmper Ætnæos vehemens caminos
Ignis exercet, Steropesque quantum
Fulmini impendit Iouis, Ætna tantum
Pectore reddit.

Æolus contra velit arma ferre?
Suscitet ventos, zephyrum, tropæos,
Cum Noto Caurum Boreamq; totis
Mittat ab anrtiis:

Pror-

Prorſus Aſtræi nihil hic furores
Egerint contra Siculos Caminos:
Imo plus creſcet ſtimulatus atro
Mulciber Auſtro.
Cærulæ coniunx velit Amphitrites
Humidus toto reparare ponto
Bella Neptunus, liquidoq; contra
Ire Tridente?
Vertat ingentes furioſus vrnas,
Et vadis totum Pelagus refuſis
Sæuus effundat; nihil his potentes
Sopiet ignes.
Talibus flagrat facibus, Deorum
CHARITAS munus, ſoboles Tonantis:
Flagrat, & magnis ferit alta cæli
Sidera flammis.
Mole dirorum Nemeſis malorum
Obruat? tetri Furiæ barathri
Impetant cunctæ? quatiantq; totis
Flagra lacertis?
Quidquid eſt, viuo ſuperabit igne
CHARITAS duris animata flabris:
Et quibus conſtat Dea, Seraphinos
Nutriet ignes.
Hęc Tibi Mindę Dea GVILIELME
Spiritus addet; Tibi grandiores
Exeret flammas, licet ipſe totus
Obſtet Auernus.
Sic decet magna face CHARITATIS
INFVLÆ magnos imitari honores:
CHARITAS certum viget æuiterni
Semen honoris.

PROSPHO-

PROSPHONEMA EPIGRAMMATICVM.

DE ÆTNA AMORIS DEI.

CErnis vt effusis consurgat flamma procellis?
Vtq; sacras Bauaro nutriat vnda faces?
Res noua, Naturæ est prorsus contraria, quæ se,
Vel sua Lethæis iura aboleuit aquis.
Ergone sic fugient nudos in littore pisces
Æquora? sic Pelagus trux habitabit Aper?
Ergone penngeras flammis alet Ætna volucres?
Densaque Phœbeos sparserit vmbra dies?
Aut ita mutanda est rerum Natura: vel vndis
Crescens flamma, sacer Principis ardet Amor.

ARCANVM ACROAMA

HOLOCARDIACVM

NOVO PRINCIPI SACRVM MINDENSI.

DAnûibra scrouatias bradeilobra Scandiorumpax
Tex scharapidroxad darscobre clampusarat.
Schmingat odens rosisax Sarafrandrua scisa procusdat.
Scharguiborax drolimas frabielhadra schmusach.

CHRONOGRAPHICON.

ÆTNÆ EPISCOPALI CHARITATIS

DEI INSCVLPTVM.

Ignes Ætna rotat, spargItqVe oppressa per agros;
DIVVS aMor PrInCeps fortIor Ætna tVVs.

IV. VIR.

IIII. VIRTVS EPISCOPALIS CHARITAS ERGA PROXIMVM.

Accipiter prædator abi, mea pignora seruo:
Si non seruarem gnaua, Nouerca forem.

FAX EMBLEMATIS IV.

BONVS Pastor dat animam suam pro ouibus suis, vti Nobis Euangelica oracula manifestant; imo etiam gallina Mater vitam suam pro suis pullis profundit, vti nostra declarant Hieroglyphica. Vides hic pulchri certaminis, vides miræ etiam Virtutis simulachrum. Dum prædæ inhians auidus latro irruit Accipiter, quantis, Deum bonum! conatibus rapinæ eius obuiam ire solet pullorum studiosa Nutrix? vt illa hosti rostrum intentare, vt vngues acuere, vt vibrare alas, vt corporis sui clypeum natis obijcere, vt vulnera vulneribus reddere & accipere, ut sanguinem fundere, vt vitalem etiam plane Spiritum pro teneri gregis defensione prodigere moris habet? Tantum prolis amor tenero sub pectore fortis Mentis habet! Id si impotes rationis animantes naturæ agunt instinctu, quid non Christiani gregis fideles Pastores diuinæ gratiæ attentabunt impulsu? Eorum vnus Ioannes Ephesinus Episcopus 1. epist: 3. c. dilectionis limites in tantum dilatauit, ut absolutè pronuntiarit, sibi & Episcopis vniuersis pro fratribus animas esse ponẽdas. Et vero quid aliud causæ esse putemus, cur verus charitatis Magister Christus Petro summum in terris Episcopatum commissurus, exegerit vicibus iteratis non solum sibi, sed vniuerso gregi suo debitũ Charitatis exsoluendum? Quid est quod gentium lumen, & Antistes Paulus pro fratribus suis fieri anathema exoptauit? Quid quod alii Episcopi sexcenti pro gregis sui incolumitate æternaque salute, commoda sua, fortunas, vitam, honoremque suum lubentissimè profuderint? fecit hæc vniuersa, sola vis diuinæ Charitatis. O Mater & Custos honorum omnium Charitas (sic enim Te Gregorius Magnus lib. 6. ep: 60. appellat) Quam potens est Virtus tua! quam nobilis & excellens dignitas Sacrosancta! Lubet nunc tuos splendores in nouo Mindensi Antistite speculari, tuamq; ei laurum per nostram Palladem consecrare.

LAVRVS IV.

CHARITATI PROXIMI QVARTAE VIRTVTI Episcopali exhibita.

PRædator rabidus penni geri gregis
Vngues Accipiter frustra acuis truces:
Frustra corpus in altum
Libras, quo grauius ruas.

Sic chortes equidem pennipotentium
Terrebis volucrum, fors etiam graueis
Figes corpore plagas,
Aut pullos perimes leues:

Sed

Sed duram capiti forte tuo fabam
Cudes, dum ſpoliis dirus Olympicis
Fruſtra tollere quæres
Pluſquam Tantaleam famem.

Chorti pennigeræ peruigil accubat
Cuſtos, ut rabidis obuiet auſibus:
PASTORALE cauedum eſt,
Dextrâ quod cohibet, PEDVM.

Heus trux anguigerûm partus Erinnyum
Labes Hæreſeôn, heus caue Poſteros
Attentare Nepotes,
Mindenſes animas caue:

WARTENBERGIACVS Paſtor adeſt COMES:
PRINCEPS BOIVGENVM fortis adeſt PATRVM:
Huic dum vita ſuperſtes,
Non lædes ſibi ſubditos.

PRINCEPS ille potens BAVARICÆ eſt Domus:
Cui conſanguineæ ſubſidio manus,
ROMANIq; PYGARGI
Vis, & BOIVGENÆ DVCIS.

Iram peruigilis deſine Præſulis
Irritare tuis perfidiæ dolis:
Fors det læſa furorem,
Quæ nunc eſt Oue blandior.

CHRONOGRAPHICON, OVILI
MINDENSIS EPISCOPATVS IN HONOREM
NOVI PRINCIPIS AFFIXVM.

PaſCe aLaCer bone Paſtor o Ves, bene paſCe: SV pre-
Paſtor o Ves CV rans paſCV a Lęta feret. (MVs

V. VIR-



V. VIRTVS EPISCOPALIS
PRVDENTIA SOLERS.

Morus ut hybernas PRVDENTER sera pruinas
Effugit, illæsum sic tegit hydra caput.

ILLVSTRATIO EMBLEMATIS V.

SI veritati consonum est, quod homil. 22. Græcus Doctor enuntiat, Ipsam scilicet Prudentiam ædificanti domum, supra Petram fundamentum locare, hoc est, in Christi Fide fundare, profectò ad reædificandas Tibi concreditas ILLVST. PRINCEPS Ecclesias, ad saxa illa vetustorum Saxonū restaurando DEI sanctuario adhibenda, opus est magna Prudentia, PRVDENTIA prorsus EPISCOPALI. Sed adest animaduerto, quod adpicta Morus arbor indicat, quod præsentes arbori sese insinuantes hydri declarant. Morus siquidem Plinio teste lib. 16. c. 25. haud in proferendo germine properat, vt arborum permultæ, quæ vbi primum mitioris aliquantulum auræ aspirauerit, erumpunt in germina, & flores exsimiant, magna interdum strage, ob sequētes aeris iniurias acerbiores. Hæc vero Prudentiæ notâ insignis, ne pruiarū ardoribus lædi possit, non ante gemas suas effundit, quam frigus fugatum penitus esse cognorit, atq; ad amœnissima adulti veris tempora peruentū sit. Mira hæc in bruta stirpe PRVDENTIA, cui non minorem Serpentum refert astutia: hi si quādo magicis premātur carminibus, ne domiti cōcidant, & eviscerentur, utramq; aurem cauda, humoq; obserant, ut ea ratione vis omnis magicæ incantationis excludatur. Nunc si verum est, quod c. 15. in Cōstit: Monast: Magnus habet Basilius, quod in omni quæ suscipitur actione, antecedere Prudentia debeat: quanta opus fuit præditum esse PRVDENTIA eum, qui tot Principum, ac summi Ecclesiæ Moderatoris graues causas, & expeditiones in Germania salutares generosè suscepit, & felicissimè terminauit? At At, manū de tabula Pitho, in hac tibi sylua Harpocrati faciendum, esse memento. Tu vero modestior Clio hanc PRVDENTIÆ Laurum decerpe, & ad valuas Mindensis Palatij Episcopalis PRINCIPI BOIO defige,

C LAV.

LAVRVS VI

OB PRVDENTIÆ VIRTVTEM ILLVSTRISSIMO PRINCIPI DATA.

RHinocolestæi Laus æternanda Laboris
Ad astra sustollit caput:
Fatur, in aduersos quantus Puer iuerit hydros
Iunonis immissos manu:
Therodamantæum quantâ virtute Leonem
Exartuarit, concinit:
Sic canit æripedem quanto luctamine Ceruam
Anni recursu strauerit:
Vt Marathonæum clauâ victrice Iuuencum,
Irasque toruas presserit:
Qualis Mænaliam subiecerit inde bisetam,
Effert in astra laudibus:
Roboris hæc magni laus est præclara, perenni
Idcirco digna Daphnide:
Maior at Herculeis radiat PRVDENTIA neruis,
Maiore digna carmine.
Hæc certas cunctis oleas virtutibus, extra
Quas nulla virtus est, locat.
Omnibus una modum figit Regina: datumq;
Qui transit, in præceps ruit.
Vna suas etiam cunctis DEA laxat habenas,
Frenosque cunctis retrahit.
Vna per Immēsum pelagus PRVDENTIA clauum
Scientiarum dirigit.
Vna sacras dignis trabeas, lituosq; smaragdis
Confert micantes Indicis.

Vna Pedum, Mitrasq; suis transcribit Alumnis,
Thronoque ponit aureo.
Hæc Tibi nunc BAVARÆ sanguen prænobile STIRPIS
FRANCISCE tollit pollicem:
Et TIBI tergeminas PRVDENTI in fronte Tiaras
Gaudet locare fulgidas.
Accipe, queis dignum censet Regina: colentes
Sic Diua se semper colet.

PROSPHONEMA EPIGRAMMATICVM.

PRVDENTISSIMO PRINCIPI MINDENSI ACCLAMATVM.

MAgne BOIVGENVM Nepos Parentum
Magnos suscipis Imperi labores,
Magnas suscipis expeditiones
Magnum in Saxoniæ bonum vetustæ.
Hos PRVDENTIA magna digna BOIO
Cunctos dum regit, expeditque nisus,
Magnos exhibet, & refert triumphos.
Nam Te Roma caput celebrat orbis:
Hinc Te Gratia Cæsaris coronat,
Ornans Tergeminis caput Coronis.
Et nunquid veniunt trophæa digno?
Quot PRVDENTIA Diua fert labores;
Tot PRVDENTIA digna fert honores;
Et tot promeritas refert Coronas.

CHRONOGRAPHICON.

MORO EPISCOPALIS PRVDENTIÆ INSCRIPTVM.

SaCra VIDes qVantas habeat PrVDentIa VIres,
DIgno Pastores ornat honore VIros.

VI. VIRTVS EPISCOPALIS IVSTITIA INCVLPATA.

Diua Ceres legum latrix, Themidosq; ministra est:
IVSTA seres quisquis semina, IVSTA feres.

ENODATIO EMBLEMATIS VI.

PRVDENTER sanè Romanæ Princeps Eloquentiæ lib. officior. 2. Prudentia nihil valet sine Iustitia ad faciendam fidem: quo enim quis versutior est, & callidior, hoc inuisior, & suspectior existit detracta opinione probitatis. Bene igitur Cultrix Iustitiæ Ceres PRINCIPI NOVO MINDENSI applaudit; bene libram Iustitiæ Antistiti defert Iustissimo retinendam; bene legum Canones & Pandectas Iuris obseruantissimo Præsuli exhibet obseruandas: bene etiam ex horum obseruatione, frugum omnium vbertatem, nouamq; aurei sæculi felicitatem secuturam adpromittit: Sine Iustitia enim, populis tot, tamq; diuersis nemo præesse potest; at huius præsidio virtutis, magnæ fiunt omnibus accessiones commodorum. Id Ambrosius lib. 3. de Virginibus, haud obscure perspexit, nouoque Emblemate eleganter depinxit, cum ait: Iustitia in alto quodam suggestu locata videt exploratq; omnia, eaque alijs potius nata, quam sibi, non tam suas vtilitates, quam publica emolumenta rimatur. Magna sunt hæc quæ à Iustitiæ throno in subditorum manus commoda deriuantur; Sed non minores ab horum manibus in Iustitiæ Præsides conferuntur honores, Nam vt 2. de offic. libro Tullius animaduertit, soliti sunt ij ad imperandum deligi, quorum de Iustitia, magna est multitudinis opinio. Quid quod Augustus apud Senecam lib. de ludo, dicit, Pietate & Iustitia Principes fieri DEOS, nunquid supremum quédam dignitatis apicem omnium honori Principum adiungit? Hunc iam Tibi collatum gratamur Illustrissime Princeps; & ut porro tua Iustitia perennet, hanc, quam Calliope nostra decerpit, Laurum, toto præcordiorum affectu vouemus, & apprecamur.

LAVRVS VI.

OB IVSTITIÆ LAVDEM NOVO EPISCOPO MINDENSI DEVOTA.

ERgone sic semper terras Astræa relinquet?
Exul & à nostris sit DEA IVSTA plagis?
Vltima cælestûm rutilos conscenderit axes
Aurea post Latij sæcla peracta Dei:
Sat stellata diu tenuit palatia Diuum,
Longius exilium non iuuat esse suum,
Turritæ Cybeles inclamat mœnia, clamant
Absentem Cereris tecta gementis opem.

Vmbræ

Vmbræ Neïadum, ſyluoſaq; tecta Dearum,
Vt procul à ſyluis Cacus aberret, auent.
Ipſe etiam humentum Pater Ennoſigæus aquarum,
Squamigerumque petit Iura ſacrata genus.
Æolij Patris regnum, domus ampla volucrum,
Iuſtitiæ querulo poſtulat ore manum.
Ignea ſic repetunt Salamandræ tecta, Promethêi
Contra flammigeri furta, Themiſtis opem.
Nec vox ludibrium eſt buccis abrepta Boræis;
Diua preces factas mitior aure bibit.
Ilicet Euigenum mortalia regna reuiſit,
Et Procerum ſacros rexit amica thronos.
Illa Tuos inter reliquos FRANCISCE Penates,
Et BAVARAM tenuit non abitura Domum.
Cum Tibi Iuſtitiæ ſtudiis nil orbe repertum eſt
Charius, una fuit dulcis amica Themis.
Hoc Vbij Pater Imperij FERNANDVS in aula
Senſit, vt ad Libras temperat hancce tuas.
Nec Dea Te charum PRINCEPS neglexit alumnum,
Sed Tibi tergeminas iuſſit adeſſe Mitras.
His modo conſpicuus MINDENIACOſq; Penates,
VERDENſemq; Crucem, TAVRIpolimq; regis.
Nec Dea ſe Domino Tibi ſubtrahit alma, quod illi
Nunquam etiam toto ſubtrahis orbe manum.
Nam ſacra Iuſtitiæ trutinas momenta bilance,
Quæq; DEO ſoluis, quæ populuſq; capit.
Sic felix Rector populorum viue GVILHELME;
Rector in Angelicis ſic potes eſſe choris.

PROSPHONEMA EPIGRAMMATICVM.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM MAGNVM IVSTITIÆ CVLTOREM.

OMnia tam iustâ rerum momenta bilance
Temperat Astrææ regula certa Tibi:
Vt sua Cambyses examina iusta bilancis,
Ad tua componens, dicere manca queat.
Inter nubigenas etiam Iustissimus omnes
Te sibi Phillyrides præposuisse volet.
Vnde Tibi IVRIS tanta est moderatio Princeps,
Hæc Tibi Iustitiæ Laurus ut vna micet?
Si licet ex factis magnos monstrare Parentes,
Est Astræa Parens, fouit & alma Themis.

ÆNIGMA HISTORICVM.

A MINDENSI PEDO DESVMPTVM.

NEglectam me propter Ouem demergit in vndas
Profugiens Pastor, quem sequor absq; pede.
Reddor ei, nobis sese quoque reddit; Ouesque
Pascit, & à nobis pabula Pastor habet.
Corpora sicca quidem prorsus gero frugibus orba,
Non sine fruge tamen seruor, & orno Pedum.

ETEOLOGICON

MITRÆ ILLVSTRISSIMI EPISCOPI MINDENSIS INTEXTVM.

HeroI BoIo Daphnen Astræa tIarIs
AffIgIt MerItIs. CVr? qVIa IVstVs erat.

VII. VIR-

VII. VIRTVS EPISCOPALIS TEMPERANTIA SOBRIA.

Refrenare ſui moderatè corporis actus,
Magna Camelorum gloria, lauſq; viri eſt.

SIDVS EMBLEMATI PRAEFIXVM.

DEI maximum donum eſt Temperantia, dicit Clemens Alexandrinus. Noli ergo quiſquis Emblematis noſtri frena aſpicis, noli, quiſquis deformem Cameli noſtri gibbum meditaris, noli, inquam, vile aliquid, aut beſtiale animo tuo infigere. Maius aliquid eſt, & humanum: imo maximum humani corporis, animiq; ornamentum per ea hieroglyphica indicamus. Frenum cohibet incitatos equorum curſus, flectit ad hominis arbitrium gradus, ad vſum & maieſtatem egregiè motus omnes moderatur. Quod utiliter frenum in equis, laudabiliter in animis Temperantia operatur. Camelus quantumuis inſigni corporis magnitudine præditus, exigua cibi potuſq; parcitate nutritur, ideoq; Eſitiens ab Eruditis Poetis ſæpenumero nuncupatur Sicut Camelus ſuſtinendo ventris ingluuiem, ita Temperantia refrenando omnem prauam humanæ mentis cupiditatem, beſtialeſq; appetituum motus prudentiſſime moderatur. Hoc egregie Proſper lib 2. de Vita contempt. cap. 10. pertractauit cum ait. Hæc virtus ſi in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi torporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ſemper ab omni vitiorum tempeſtate defendit. O pulcra laus cum ea in homine diti, ac copioſo reperitur! Fruere ea FRANCISCE GVILHELME Princeps Noue Mindenſis Eccleſiæ, eamq; in ſubditos omnes tuos integerrimo vitæ tuæ exemplo diffunde; Mea interim Euterpe hanc inſignem Victori Laurum gratulare, & glorioſo capiti circumnecte.

LAVRVS VI.

OB TEMPERANTIÆ LAVDEM MINDENSI NOVO PRINCIPI DICATA.

DIſcede Circe dira veneficis
Inſtructa technis, ſeu Ithacum velis,
Seu illius malis ſodales
In luteos variare porcos.
Diſcede noſtris Saxonidum plagis,
Mindenianis cede Penatibus,
Obbaſq; ſpumantes falerno,
Et Cereris remoue liquores.

Intem-

Intemperantem tecum animum rape,
Prorſus malorum Tartaron omnium;
Hunc igne, Neptuniq́ue ſceptro,
A patriis prohibemus oris.
Sat ſenſit à te Lamechides Noas
Illuſionum, Lothus Haramides
Deceptionum, cum Lyæo
Poto animi ſepeliuit vſum.
Per te ruinas irreparabiles
Dux Holofernes ſenſit, ut obrutum
Spumante Baccho Merarine
Aſſyrio ſecat enſe collum.
Per te refertâ prò nimium gulâ
Rex Andobundus ſceptriger occidit:
Et Saxo per te Childericus
Dente thorũ moriens momordit.
Ergo barathri trux Acheruſij
Diſcede peſtis. quid fera reſtitas?
Et carnis arma verſipellis
Contra animi moderamen effers?
Contra potentem vincere PRINCIPEM
Mindeniano præpoſitum ſolo,
Boiâ creatum ſtirpe, fruſtra
Tartareos mediteris auſus.
Intemperantes ille Philoxenos,
Sanctras guloſos, atque Xenocrates
Odit, ſacroſancti pudoris,
Et propriæ barathrum ſalutis.
O ter beatos quotquot in hunc modum
Vitam laborant viuere Sobriam!
Hos nectar æternum ſupremâ
Cælicolûm ſatiabit Aulâ.

ACROA-

ACROAMA EPIGRAMMATICVM.

TEMPERANTIÆ ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS ACCLAMATVM.

ARa patet FRANCISCE Tibi, patet ara Pudoris,
Quam Tibi Mindensis sacra Tiara struit.
Hinc Bromij ventres, Epicuri de grege porci,
In Luthericrepis quos Gula nutrit haris:
Cedite Cyrenen, si sola Voluptia vobis
Ridet Aristippi turpe didagma Sophi;
Nil Mindeniadum valeat conferre Tiaras;
Ni valeat porcis pandere forsan haras.
Ast quæ BOIE Tibi Lux est GVILIELME Tiaræ,
Illa Pudicitiæ stare Tiara potest.
Et quia virginei semper stetit ara Pudoris,
Ara, Tibi Cypriæ Victor, honoris erit.

ÆNIGMA

A MINDENSI TIARA DESVMPTVM,
ET POETÆ OEDIPO DEDICATVM.

Aut minor, aut maior, niueo vel in æquore viuo,
Vel fugiens facto tympana pulso sono.
Sum maior tibi sæpe, canis cum parte minorem:
Sum minor in magno corpore, tuncq; rego.

CHRONODISTICHON IAMBICVM

CLYPEO TEMPERANTIÆ NOVI MINDENSIS PRINCIPIS INCISVM.

Non est qVoD æqVe PrInCIpes ornet VIros
Vt VIta teMperantIor.

VIII. VIR-

VIII. VIRTVS EPISCOPALIS
FORTITVDO MENTIS

FORTITER aduersis VTOR, rebusq; secundis:
Qui cadit alterutro pondere, mollis agit.

LVMEN EMBLEMATI PRAELATVM.

PRodit nunc Diua illa in arenam Ambrosi quā lib. offic.1.c.36: appellas Inuictam ad labores, ad pericula fortem, rigidiorem aduersus voluptates, duram contra illecebras, quibus aurem deferre nullatenus sciat. Agnoscis, Spectator, difficultatum omnium triumphatricem FORTITVDINEM? Plane Virginem deprehendisti, quam Emblema nostrum tibi per Marpesiam cautem obiecit, quamq; tibi Musæ nostræ penicillus in Herculeæ stabilitate columnæ adumbrauit: quam firma hęc! quam ad omnem obdurata impulsum! quam contra aëris, terræ, marisq; iniurias omnes munita! notius est quam ut nostra oratione exponatur. Illa stabili sua perennitate, vires atq; fortitudinē robusti, cōstantisq; animi manifestant; Itàq; manifestaut, ut multos virtutis Canditatos magnis post se interuallis relinquaut. Id apprime Mag. Gregorius in Psal. Pœnit.2. obseruauit exclamans, Quid fortius quam omnes animi sui motus rationi subigere, omnia carnis desideria spiritus virtute frenare, proprias voluntates abijcere, contemptis visibilibus, ea quæ non videntur amare? Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Eant ergo neruosi illi Milones, eant cælorum baiuli Atlantes, eant etiam, per nos licet, torosi vetustatis Hercules, pluris his omnibus ego Christianum Principem orthodoxum faciendum esse duco, libereq; cum Lactantio lib. de inst.1, c.9. edico: Non enim (verba sunt illius) fortior iudicandus est qui Leonem, quam qui violentam in seipso inclusam feram superat iracundiam: fortior non est, qui rapacissimas volucres deijcit, quam qui cupiditates auidissimas coercet: non est fortior, qui Amazonem bellatricem, quam qui Libidinem vincit, pudoris & famæ debellatricem: non est fortior, qui fimum de stabulo, quam qui vitia de corde suo egerit & excludit. Habe hanc Tibi laudem CHRISTIANE HERCVLES BAVARICE, Hęc te dignū triplici Episcopatus TIARA, quam ex animo gratamur omnes, constituit. Tu vero Erato in hanc Laurum conscende, & ramos quosdam Honoris palatio Herculis nostri affigendos decerpe.

LAVRVS VIII.

EPISCOPALI MITRÆ OB FORTITVDINIS LAVDEM IMPOSITA.

GAlbæ deliciis, Midæque gazis
Maior gloria nonne fortitudo?
Hac sacro Gedeon iubentis oestro
Compulsus, comitum leui cohorte
Stipatus, Patrios tuetur agros,
Ingentes Madian domans phalanges.

Hac

Hac fortis Manoæ propago Patris
Zargites rabidum premit Leonem;
Et crudelia bella Thamnathitis
Reddens Miſraiden domat Philiſtim.
Hac Ieſſe ſoboles Dauid frementes
Edentat rabidi furoris Vrſas;
Et ſolâ manuum ruente fundâ
Proſternit tumidum ſolo Gigantem.
Hac Dux Iſacidum potens virorum
Fortis Debbora Siſaram ſuperbum
Miſit ſulphureas ſtygis ſub vndas,
Acto per cerebrum necante clauo.
Hac Iudith populi decus ſacrati
Hoſtiles medias petit cateruas,
Et ſtrictâ feriens Ducem machæra
Optatam patriæ dedit ſalutem.
Hac tu BOIVGENVM propago Patrum
MINDENSIS noue GVILIELME PRINCEPS
Lernas Saxoniæ putres auitæ
Purgas, Hæreſeôs domans chelydros.
Hac pro Chriſtiadum FIDE Quiritum
Ad regnum Boreale proferenda,
Exorbes patiens graues labores:
Hinc tandem meritos refers honores.
Iam fers Tergeminas quidem Tiaras
Regni per CAROLVM Ducem ſubacti:
Sed olim rutilis receptus aſtris
Lauros perpetuas feres. quid ergo?
Galbæ delicijs, Midæque gazis
Maior gloria nonne Fortitudo?

PROSPHO.

PROSPHONEMA
FORTISSIMO VICTORI NOVO
MINDENSI EPISCOPO.

TEr circa Iliacos raptauerit Hectora muros
Æacides, Martis Daphnide fortis ouans:
Trux Nâsamoniacum Marij fortuna Iugurtham
Colla catenatum traxerit urbe Ducem:
Pellæus cunctos iuuenis subiecerit hostes,
Quodque locus bellis desit in orbe gemat:
Omnibus his GVILIELME tua est victoria maior,
Quæ pietate DEVM vincere semper auet.
Fortior an qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia, nec superans Numina, maior erit?

PROBLEMA ÆNIGMATICVM.
EX ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
INSIGNIBVS DESVMPTVM.

Corpore consto quidē, sed amor plus corporis expers.
Sum sine voce, tamen plurima iussa loquor.
Sum duo, sumq; vnum: manibus teror, haud teror usu.
Me sine me, quis habet? quis caret, atque tenet?

CHRONOLOGICON.
COLVMNÆ FORTITVDINIS POSITÆ AD
VALVAS PALATII PRINCIPIS NOVI MINDENsis Inscriptum.

FortIter aDVersIs obstas: ea PrInCIpe DIgna
Est VIs; non DVbIa pergIt In astra VIa.

IX. VIR-



IX. VIRTVS EPISOCOPALIS
ORATIO DEVOTA.

VNI sacra TIBI defert oratio thura:
Qui tecum, nemo est, certet honore, Deus.

ASTRVM EMBLEMATI PRAEFIXVM.

QVid hoc portenti ô Cœlum! etiam orbes tui ex ære fusi, etiam palatia tua, quæ nulli corruptioni subiecta putabamus oppugnari imo etiã expugnari possunt? Plane. Et quæ tandem tantæ potestatis iacula, qui arietes, quæ balistæ, quæ ignea bombardarum fulmina, ut solidiores ferro ac chalybe cælestes muros valeant penetrare? mirare & obstupesce: ORATIO se humilitatis penetrat nubes, neq; teste Eccl: c. 35. discedit, donec altissimus aspiciat eam. Obscurentur itaq; cæli, nubium montes obsistant, bacchentur cælestium irarum venti, ruant ab alto fulmina, ponat se DEVS contrarium orbi, atq; etiam, si ita placet, ipsi cælorum cardines in humanum genus cõspirent, tantum dirigatur ORATIO in conspectu Dei, eleuatio manuum fiat sacrificium vespertinum, quo thus Orationis symbolum, Vni tantum DEO adoleri cõsuetum est, & nubes, cælosq; ipsos ORATIO penetrabit, Omnipotem ipsa omnipotens supplicatio, ad cõdonandam peccatorum noxam, ad thesauros nouæ gratiæ effundendos coget quodammodo ac compellet. Sic certe Moyses Exod. 32. reluctantem DEVM ad ignoscendum populo suo cogit. O quam fortis es, ô quam efficax in humili mente Oratio! Nunc mirum nõ est si Gregor: Nissenus lib. de te conscripto, dicat; Oratio corporum robur est, abundantia domus, recta legum ac iuris in ciuitate cõstitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, cõiunctorum conseruatio: Oratio Virginitatis sigillum est, scutum viatoribus, dormientium custos, fiducia vigilantium, agricolarum fertilitas, salus nauigantiũ, eiusdem cum Angelis honoris cõditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio: Omnia es oratio, quæ omnipotentem vincis, & eum tecum facientem habes. Vade nunc, & cui nota es ac familiaris, PRINCIPI nouo MINDENSI FRANCISCO GVILIELMO, cum hac tuorum bonorum certa spe, nouum PEDVM, nouamq; TIARAM faue ac foue. Tu vero Melpomene nouam orationis Laurum, nouo PRINCIPI, honoriq; Episcopali attolle.

LAVRVS IX.

REVERENDISSIMO PRÆSVLI COELOS ORATIONE PENETRANTI CONSECRATA.

VAna eſt non hominum ſana ſequentium,
Vana eſt Pſeudologûm fabula: cælicos
Orbes perpetuo ſtare adamantino
Clauſos, aut chalybis gelu.
Vox eſt Eumenidum falſa furentium,
Miſſos Hippotadæ carceribus graues
Plorantum gemitus; nec rutilos pias
Cœlos tangere lacrymas.
Vox eſt, quam ſtygiis nata paludibus
Demens Impietas protulit, Arbitrum
Mundi cardinibus claudier ætheris,
Nec mortalia cernere.
Cernit plane oculis cuncta patentibus;
Et queſtus patulis accipit auribus;
Non unam Lycidæ lacrymulam daret
Caſſis ludibrium Notis.
Perrumpunt gemitus Empyreas domos,
Et vox Euigenûm vota ferentium,
Tranſcendens cuneos Angelicæ tribus
Obtutus patitur DEI.
Sic eſt, ſic gemitus ſæpe Tuos bibit
VVARTENBERGIACI gloria SANGVINIS;
Miſſas ſæpe preces nocte ſub horrida
Cæleſtis Pater audiit.
O quot (Saxonicis dum Bonus omnibus
Sic prodeſſe cupis Paſtor ouilibus)
Auerrunca tuis diſpulit orbitis,
Verſis in melius rotis!

O quot

O quot cælituum munera ſupplici
Impetrata preci cum Tibi, tum Tuis
Auxiſti Gregibus, mortiferos procul
Arcens à Patria Lupos!
O ſic Macte Tuæ proſpice Patriæ
PRINCEPS Boiugenum magne Penatium!
Sic cœlos precibus pande tuo Gregi,
Quos una Pater incoles.

PROSPHONEMA EPIGRAMMATICVM.
FERVENTI NOVI PRINCIPIS ORATIONI ACCLAMATVM.

ILle quis æthereos precibus perrumpere cœlos,
Summaque cælicolûm tecta ſubire potens?
Quiſque Gigantæis pluſquam conatibus ipſum
Certat olympiacum vincere poſſe Patrem?
Imo Panômphæum trahit in ſua vota Tonantem;
Et ſua Pandoræ plurima dona facit.
Agnoſco: FRANCISCE, Tua eſt BAVARICA virtus,
Qua Tibi clementem reddis, habeſq; Deum.
O ſi victa Tibi eſt vis omnipotentis Olympi,
Quantus contra Erebi prælia victor eris!

PROBLEMA LOGICVM
AB EPISCOPATV MINDENSI SVMPTVM.

Quis tibi theſauros monſtrat lacus unus apertos;
Qui mox converſo flumine, clauſa canit?

CHRONOGRAPHICON.
DOMVI ORATIONIS EPISCOPATVS MINDENSIS ADSCRIPTVM.

TerrIgenas IpſoſqVe poLos oratIo transIt,
QVa MInDenſe feres BaVare PræsVL onVs.

X. VIRTVS EPISCOPALIS
PATIENTIA IN ADVERSIS.

Cum grege Pastores totis Deus alme diebus,
TE PROPTER, mitis cædimur instar ouis.

ILLVSTRATIO EMBLEMATIS.

O SVAVE Canticum in auribus Angelorum, quod ab ore Pastorum accipitur Probatorum! PROPTER TE MORTIFICAMVR TOTA DIE: æstimati sumus sicut oues occisionis. Ouis enim patientissimum animal, quæ coram tondente se obmutescit, quæ deglubenti se Lupo non obstrepit, quæ mitis ad macellum sequitur, & occumbit, cum indicium sit Christianorum multas pro Christo aduersitates perferentium, maximè tamen refert eos, qui maioribus exaltati honoribus, grauioribus etiam fere semper oneribus ad DEI maiorem gloriam toleratis, mansueti ac patientes opprimuntur. Hic fluminis impetus, hæc PATIENTIA in aduersis, hæc in tempestate perseuerantia mitis, lætificat ciuitatem DEI viuentis. Et vero tales Episcopos ex Apostolo requirit lib. de dignitate sacerdotali c. 1. Episcopus Mediolanensis Ambrosius, qui benigni, non iracundi, aut percussores, qui illatas ab aliis patienter ferant iniurias, qui mentis modestiam cunctis hominibus tranquillam demonstrent, qui firmam cunctis patientiam non repugnantes ostendant; non vero manus ad cædem improbas habeant, non prauis suspicionibus aliorum cōscientias percutiant, ne dum inueniuntur petulantes ad cædem, Athletæ magis, quam Episcopi esse iudicentur. Chrysostomus hom. in gen. 54. ad eandem mansuetudinis gloriam, se & omnes Episcopalis subsellij Moderatores, his monitionum stimulis excitat, ac impellit. Neque contumelia affecti feroces simus, etiamsi qui nobiscum contendunt contemptiores sint nobis, sed omnem furorem mansuetudine comprimamus. Nihil illa potentius, nihil illa fortius. Hæc animam nostram in perpetua tranquillitate, & quasi in portu constituit: hæc omni diademate se possidenti utilior existit: hæc omni claritudine & gloria conducibilior splendescit. Quid enim beatius est, quam intestino liberari bello? quid contra miserabilius ea ciuitate, quæ licet præsidiis, atque muris optime sit munita, intus tamen ciues foueat proditores? illud quidem mansuetudinis proprium, hoc iræ semper ac furori affixum est. Quid quod eodem teste Chrysostomo in epistolam ad Rom: hom: 19. nihil adeo vicinum DEO, conformemq; faciat, quam hæc vnica virtus mansuetudo, Quantum hoc decus, quantum est totius virtutum regni ornamentum! Gaude in hoc & confirmare ILLVSTRISSIME PRINCEPS FRANCISCE GVILIELME, Teque MITEM FRANCISCVM omnibus semper bonis ostende: impijs vero, ac flagitiosis FORTEM GVILIELMVM exhibe; Itaq; vetus Moyses nobis facte, hanc mansueti animi Laurum ab Vranie nostra suscipe.

LAVRVS X.

OB PATIENTIÆ VIRTVTEM
EPISCOPO MINDENSI DEDICATA.

PErgite, pergite sidereis aptanda Colossis
Eumenides stygiis tundere saxa malis.
Cuncta refertorum profundite stagna malorum
Perq; Procrustæas, Hæreticasq; manus.

Clau-

Clauſtra catenati recludite ferrea Iani,
Mittite Troianis non leuiora malis.
Quæ tulit in Lemno Pæantius Herculis hæres
Dura Philoctetes vulnera, reddat hydra.
Lumen Amyntoridis tenebræ Phœnicis opacent,
Quales Nephtalius pertulit ante ſenex.
Horridus inſurgat tumidis Neptunus in undis,
Voluat & euerſo ſtagna refuſa vado.
Scylla rapax Siculo pergat latrare profundo,
Et vomat aduerſas ſæua charybdis aquas.
Mulciber Ætnæas in ſtructa palatia flammas
Vertat, & in cineres omnia dirus agat.
Ipſa etiam Iouis imbriferi Brontæa labaſcant
Fulmina, in Æolidis qualia miſſa caput.
Denique cum Pelago totus conſpiret olympus,
Conglomeretq; ſuas, exoneretque minas.
Nil caput hæc BAVARI percellant Principis, eius
Qui tua MINDENSIS ſceptra TIARA gerit.
Illius Herculeum munit PATIENTIA pectus,
Et FIDEI SCVTO corq;, animumq; tegit.
Addita IVSTITIÆ firmos LORICA lacertos
Reddit, ad impulſus nil laceranda ſtygis.
Compages non ipſa quidem ſedet ænea carnis;
Imo grauis ſenſum ſæpe doloris habet:
Sed DEVS immotâ reſidens ſub mente, lacertos
Sufficit, & forti marmora mente locat.
Hinc nihil aduerſis quatitur generoſa procellis
E Bauaro PRINCEPS ſanguine MINDA tuus.
Quin etiam conſulta ſibi PATIENTIA duris
Gaudet, & è ſpinis lilia pulcra legit.
Scilicet his gradibus virtutis aditur Olympus:
Non patet ad Superos tutior ulla via.

ACROAMA PATIENTIÆ
AD TRES ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS BOII MITRAS.

TErgeminæ Mitræ veterani Saxonis, alto
Impositæ capiti BOIO DE SANGVINE nato
Hactenus Islebicam Nemesin, durumque Lutheri
Heu tetulistis onus! nunc vos meliora secutas
Concutit horrisono tristis Bellona flagello:
O passæ grauiora! Deus dabit his quoq; FINEM:
Durate, & BAVARO vosmet seruate GVILHELMO.
At quibus est ardor vobis, studiumque nocendi,
Nec vitia in melius deflectere praua, cupido est,
O passæ grauiora! DEVS dabit his quoq; FVNEM.
Vtque sit (optamus) diuini FVNIS Amoris.

LOGOGRIPHVS.

DEBITVM HONORIS PRINCIPI
NOVO MINDENSI PERSOLVENS.

SEmoueo ex oculis; reddoque in vertice fructus
Virginis: in collo vincla remissa noto.
Cælum habitat truncus: sine corde potentior arcto.
Cum pede crus colitur, datq; fluenta. quid est?

ETEOLOGICON DVPLEX
PATIENTIÆ CLYPEO INSCRIPTVM
ET NOVO EPISCOPO MINDENSI OBLATVM.

TaM tIbI DVX bonVs est PatIentIa BaVare PrInCeps;
QVaM foret In VItreIs naVIta DoCtVs aqVIs.

XI. VIRTVS EPISCOPALIS
PAX SYNCERA.

Copia paciferam rerum comitatur Oliuam:
Hæc Pacis semper tempore, ABVNDO canit.

REVELATIO EMBLEMATIS.

MAGNVM omnino bonum est PAX, atque etiam tantum, ut Augustino teste lib. Ciuit. DEI, 19. in rebus terrenis atque mortalibus, nihil soleat gratius audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri: Ideoq; felicibus adest auibus Auctor Pacis, PACIFERÆ QVISQVIS RAMVM PRÆTENDIT OLIVÆ. Oliuæ dico, cuius surculum, cum emissa à Noe Columba detulit in arcam, sensit bonus Patriarcha tempestatem diluuij tranquillatam, terramque totam remittente sese inundatione pacatam. Bonum factum! idem nunc terris nostris, idem Mindensi Episcopatui, sperare nunc tandem licebit felicitus, cum Nouo eius regimini præficitur Antistes PACIS amantissimus. O quisquis sapis, persequere Pacem & amplectere eam: Nec enim bonum utile tantum est pax, sed ut Augustinus serm. 2. ad fratres in Eremo pertractat, bonum est etiam periucundum, quod facit habitare unius moris in domo, ut simul viuere, simulque mori exoptent. O pax! exclamat Encomiastes idem, tu mentis serenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatis consortium! Hæc est illa summa felicitas, quæ bella compescit, iras comprimit, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis placet, optatur ab omnibus. Beatus qui te habet, maledictus qui te odit, & inter homines frangit, quoniam filius est perditionis. Intelligite hæc, qui tumultuosas Hæreses plus quam pacis sanctas leges amatis: & si filij DEI, ac hæredes esse velitis, sectatores estote seduli syncerissimæ Pacis. non enim (Augustini sunt verba) peruenitur ad vocabulum Filij, nisi per nomen pacifici: & filius DEI esse incipit, qui pacificus esse cœpit. Interim tu Pace tua fruere Antistes MINDENSIS REVERENDISSIME, & bona pacis enumerata posside tranquillissime: eam interim Laurum ex hortis tuis decerptam Mitræ Tuæ Episcopali accinens Polyhymnia nostra adnectet.

LAVRVS XI.

PACIFICO PRINCIPI MINDENSI PRÆLATA.

FAustis alitibus Minda tuum decus
Optatum, patrios iam repetit Lares:
Tristes ergo lacernas
Mutes purpureis togis:
Quicquid tristitiæ est, in mare Creticum
Portandum zephyris trade: quod affluit
Lætis Minda triumphis,
Lætis excipe plausibus.

Pax

Pax eſt, belligeris clarus adoreis
Quam Pipiniades CAROLVS attulit
Victo olim WEDEKINDO
Durûm Principe Saxonum.
Pax eſt, quam patrijs præpoſitus tuis
HERIMBERTVS agris Primus EPISCOPVS
Inuexit, cæremonijs
Victis Idololatricis
Pax eſt, Romulidum quam ſacra Martyrum
Introducta Fides PRINCIPE BAVARO
Cunctis præbet Alumnis,
Cunctis exhibet accolis.
O felix radijs Cynthius aureis
Qui tantum patriæ reſtituit decus!
Qui cum Pace quieta,
Romanam retulit Fidem!
Concuſſit tumidis fluctibus hactenus
MINDENSEM FIDEI pacificæ RATEM
Pacis neſcia peſtis,
Atrox Æolus Hæreſis:
O nunc fluctiuagi barbariem ſoli
Sat Mindeniacæ pertulerunt Mitræ!
Pax allabitur alis,
Alis plauſitat aureis.
Sic Lamechiades prædominantibus
Iactatus pelagi fluctibus, Alitem
Ramo Pacis onuſtam
In nauem recipit ſuam.
Tantis MINDA bonis utere proſpera,
Verè BAVARICO proſpera PRINCIPE,
Veram quamque ſalutem
Hic adfert, hilaris cape.

PROSPHO.

PROSPHONEMA

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

MINDENSEM NOVÆ PACIS AVTOREM

Declamatum.

INclyta Boiugenum Domus eſt fœcunda bonorum,
Vnde Tibi PRINCEPS eſt GVILIELME genus.
MAGNVS pacificam fert ÆMILIANVS oliuam,
Quam ſibi per duræ Palladis arma parit.
Tu FRANCISCE Duci cognatus ſanguine MAGNO
Pacificæ MITRAS Palladis arma geris.
Ille ſuis PACEM telis victricibus adfert:
Pax Tibi Romano dogmate parta venit.
MAGNVS uterque ſuis ſtudiis. quis maximus? ille
Qui virtute poteſt pumilus eſſe ſibi.

ÆNIGMA

EX EPISCOPALI MITRA MINDENSI DESVMPTVM.

QVi meus eſt primus Pater, illi lumina quatuor:
Cauſaque repperiens vnus, & vna fuit.
Vnus in ore ſedet; ſedet illa ſed vnica mente:
Hæc Fabius tabulis, inſpice, Pictor habet.

CHRONOGRAPHICON GEMINATVM

AD ARAM PACIS EPISCOPI MINDENSIS AVREIS LITERIS INSCRIPTVM.

PaX tIbI MInDensIs PrInCeps eXorta reſVrgat;
QVoD ſeqVItVrqVe, tIbI LaVs SaLoMonIs erIt.

VIR.

VIRTVS DVODECIMA EPISOCOPALIS
CONTRITIO SALVTARIS.

Heu SOLI Deus Alme TIBI peccauimus! ô nos
Heu Metanoea dolens conterat: inde ſalus.

CLARITAS EMBLEMATI AFFVSA.

DEVM bonum! quantam ſacrificiorum varietatem ad propitiandum ſibi numen habuit ſancta Patrum noſtrorum ætas! Nihil nos huiuſcemodi. Præter incruentum legis nouæ ſacrificium, Contritionis tantum Victimas dedicamus, & cum Regio Vate cantamus: Sacrificium DEO, Spiritus contribulatus, Cor contritum & humiliatum DEVS non deſpicies. Plane hoc ſanctum ſacrificium quod non deſpiciet DEVS, maxime quod ei obtulerit Sacra Pontificis manus. Pontificis dico, quia omnis Pontifex, teſte Apoſtolo, Ad Heb. 5 ex hominibus aſſumptus eſt, ut pro ſe, populoq; ſuo propiciationis offerat Sacrificium; quod quantam ab eo requirat Sanctimoniam expreſſit lib. 10. Epiſtolarum Ep: 26. Ad Epiſcopum Conſtantinop: D: Gregorius rogans: quid Antiſtes ad Dominum, niſi pro peccatis interceſſor eligitur? quâ igitur fiducia ad DEVM pro peccatis alienis interceſſor venio, ad quem de propriis ſecurus non exiſto? Et ſi homo apud hominem, à quo minime ob neglectam familiaritatem auxilium præſumpſiſſem, fieri interceſſor erubeſcerem, quantæ hoc audaciæ eſt, quod apud DEVM pro populo locum interceſſoris obtineo, cui familiarem me eſſe per Vitæ meritum non agnoſco? At iſtos cohibe ſtimulos ô Gregori, quam cum Apoſtolo requiris in Epiſcopo pro offerendis DEO holocautomatis dignitatem, eam Salutaris cordis Contritio progignit. Vides hic Vt Diua quædam amictu pullo obuelata doloris malleo cor incudi ſubiectum tundat, conterat, emolliat? Contritio eſt, quæ ictibus ſuis ipſos cælorum orbes penetrat, largamque DEI manum ad effundendam liberalem gratiarum benedictionem prolicit, ac quodammodo pertrahit. O Contritio quam vere digna es Virtus Epiſcopo! Tu enim es (Vt ſerm: de pœnit: Chryſ: ait) quæ peccatum miſerante DEO remittis, & reſeras paradiſum, quæ contritum ſanas hominem, triſtemq; exhilaras. quæ vitam de interitu reuocas, ſtatumque eius reſtauras, quæ hominem renouas, fiduciam das, reformas vires, gratiamque abundantiorem refundis. O Contritio, quam digna es Paſtore liberandi Gregis ab hæreſis captiuitate? Tu enim ligata omnia ſoluis, omnia ſoluta reſeras, omnia aduerſa mitigas, omnia Contrita ſanas, omnia Confuſa lucidas, omnia deſperata animas; Digna prorſus es, quæ nunc etiam nouam Mindenſem Mitram exornes. I felix, nouo te Principi FRANCISCO GVILIELMO comitem ſiſte, & hanc Laurum Thaliæ noſtræ Triumphanti vertici eius impone.

LAVRVS XII.

SALVTARIS POENITENTIÆ ET CONTRITIONIS, EPISCOPO MINDENSI PRO SE, QVIbuſq; ſuis, oblata.

TArpeia Rupes Romuli quondam tui
Cæſos iuuencos videris:
Et tu bifrontis clauſa Cluſini domus
Sacros odores ſenſeris:

Cæſis

Cæſis boarit Pantheon bobus ſacris
Nidore pictum fornices:
Phœbo rapacem Pegaſum mactet Pugil,
Qui Pegaſo metas rapit:
Neptunianis taurus occumbat Sacris;
At Bos Arator ſit Ioui:
Placeris hirco Bacche caprarum duce,
Aut pinguis aſſato Suis:
Tibi Iuuenca pectoris fœti cadat
Tellus onuſta frugibus:
Sed quæ Tyrannum Tartari Iuno foues,
Feras ineptam partui:
Actæa fruges primulas cupis Ceres?
Has ſtulta ſacret Græcia:
Vertigo non eſt illa BOIO PRINCIPI,
Qui MINDA præpoſtus tibi eſt.
Sacratiores victimas parat DEO,
Acceptiores Numini.
Non hoc requirit aureos cornu boues,
Pinguedo queis verrat ſolum:
Sed COR dolore percitum, repens humi,
Seſeque ſpargens puluere.
Hoc Rector orbis Cælitum magnus Parens
Gratam requirit victimam.
Duræne cernis hic COR incudi datum?
BOII Cor hoc eſt Principis.
Sic ille cæli Gratias meret Sibi,
Suiſque Terris impetrat.
O ter beata cordis hæc CONTRITIO!
Non vulnus, at vitam parit.

PROSPHO-

PROSPHONEMA AD LACHRYMAS CONTRITIONIS EPISCOPALIS.

GVttula lachrymulis age guttula curre profuſis:
Ex oculis labens guttula Iaſpis eris.
Guttula per trabeas, perque imas deflue veſtes;
Guttula per Veſtes fuſa beryllus eris.
Guttula perque ſinus, per apertum decide pectus;
Guttula per pectus lapſa topazus eris.
Guttula per genibus ſubiectum ſpargere marmor;
Guttula per marmor ſparſa ſmaragdus eris.
Guttula per thalamos, per totas fundere plumas;
Guttula per thalamos fuſa pyropus eris.
Guttula perq; dapes, per onuſtas ſpargere menſas;
Guttula per menſas ſparſa hyacinthus eris.
O bona luminibus quæ guttula curris apertis!
Sed melior, tacito quæ data corde fluis.

GRIPHVS ÆNIGMATICVS EX ORNAMENTIS MINDENSIS EPISCOPATVS DEPROMPTVS.

SImplicitate carens Vir ſum Germanus, & eius
Vertice depoſito clareo, repo, fluo.

CHRONODISTICHON.

CONTRITIONIS EPISCOPALIS INCVDI MALLEOq; INSCVLPTVM.

Perge PIo Paſtor, perge, InDVLgere DoLorI:
BreVI SeqVentVr gaVDIa.

XIII. VIR-



XIII. VIRTVS EPISCOPALIS
VIGILANTIA.

Viuere centoculo si vis VIGILANTIOR Argo,
Lumina cui somnus non tegit, esto LEO.

LVX EMBLEMATI ASPERSA.

LEONES olim nõ tantum Mycenarum Portis, sed reliquorum etiam ædificiorũ præcipue vero fanorum valuis, ædiumq; Sacrarum vestibulis, tanquam diuinorum Custodes vigilantissimos, maiores nostri statuerunt. LEO enim si quandoq; dormit somni est parcissimi, oculosq; habet splendentes semper ac patefactos, quod in Vigilantiæ, Custodiæq; signum receperunt Sapientes. Vis Episcopalis huius Virtutis argumentum? Ecce tibi Pastorem Argum. Quid ille? audi Pelignæum Olorem de hoc l: 1. Metamorp: concinentem; CENTVM luminibus cinctum caput Argus habebat, Inq; suis vicibus capiebant bina quietem, Cætera seruabant, atque in statione manebant. Nunquid istis ΝΙΦΑΛΕΟΝ illũ Chrysostomi, ho: 10. Episcopum, apprime adumbratum vides? Vult ille hunc clarissima mentis acie præditum, innumerosq; omni ex parte oculos habentem, quibus acurissime prospiciat vniuersa. Vigilantem enim, necesse est, esse illum, adiungit, qui non tantũ sui curam habeat, sed etiam reliquorum. Decet esse peruigilem eum, Ducesq; omnes sollicitudine, atq; industria superare, ut diu, noctuq; exercitum, & castra perlustret, laboret, & sui officij munus impleat diligentissimè: Si enim (uti lib:; 8. de sacerd: causam reddit) vsu veniat. ut quibus ciuitatum principatus est concreditus, ij, nisi valde prudentes, pariter & vigilantes fuerint, tum ciuitates ipsas euertant, tum seipsos perditum eant; quanta illum virtute non sua tantum vnius, sed cælesti præditum esse conuenit, cui forte obtigit, vt Christi sponsam colat, ornetq;, si modo peccandi occasionem vitare is velit? Vis vitare sat scio Reuerendissime Præsul FRANCISCE GVILIELME, Ideoque uigilantiam tibi familiarem facis, & cum Pastoribus Bethlehemiticis vigilias super Gregem tuum custodis. Amplissima spes me tenet, visurum me aliquando diem illum, quo Te, Tuumq; Gregem Tua hæc Pastoralis VIGILANTIA beabit, cuius futuri boni arrhabonem Terpsichore nostra hanc capiti tuo sacratam Laurum imponit.

LAVRVS XIII.

VIGILANTIÆ VIRTVTI EPISCOPALI PORRECTA.

O Mihi quantorum nubes oculata malorum
Sola per Æolios ſparſit Vigilantia Cauros!
O quantas Nemeſis charadras exhauſit auiti
Saxonis, in terras pleno torrente coactas!
Nox Erebi genus infelix, turpiſque Meduſæ
Hæreſeos ſoboles infortunata, ruinis
Fœta Ægyptiacis, millenis ebria Lethes
Cladibus, vt nuper ſtygiis excita cauernis
Per Luthericrepi fumumq;, luemque Chelydri
Saxonicas tenuit monſtris naſcentibus oras,
Oſnabrugiadas, Mindeniacoſque Penates,
Et Verdeniacæ florentia tecta Tiaræ
Obruit, & totis terras circumdedit alis.
Tunc maleſana cohors Furiarum impulſa tremendis
Tartarei Iouis imperiis, hæc regna venenis
Peſtiferis Iſlebiacæ ſcelerauit Echidnæ,
Totaque in horrendos conuertit pene colubros.
Qualiter anguicomæ monſtrum furiale Meduſæ
Vertice diſſecto valida Cyllenidis harpe,
Sanguineo quicquid maculauit rore, Draconis
Induit in formam, ſquamaſque in tergora ſparſit:
Haud ſecus Hæreſeos mater Nox atra tenebris
Pluſquã Cymmeriis CAROLINAS implicat VRBES;
Queis defenſa, nigri prô qualia monſtra barathri
Parturit, vt denſas voluat ſub Tartara prædas!
Harpyæ, funeſta lues, Phyneïa monſtra
Non tunc Arcadicas roſtris populantur ariſtas,
Aſt heu! ſacrilegis ſummi delubra Tonantis

Auſi-

Auſibus inuadunt: precioſas turpis Aello
Depopulatur opes; ſuperorum diripit aras.
Nec minus Ocypete furit, & ieiuná Celeno
In ſacros Domini Myſtas ſarraca furoris
Exonerat, tunc Scylla ferox, tunc dira Chimæra,
Gorgoneiq; angues partu infelicis Echidnæ
Hæreſeos generati omnes mala plurima fundunt
Noctibus obſepti tetris ſtygialis Auerni.
At non æterno fata hæc immania vinclo
SAXONICIS adnexa ſuis hæsére TIARIS:
Nam poſtquam BAVARI VIGILANTIA magna Leonis,
His adiecta fuit, poſtquam vigil Argus in hoſtes
Sacratæ FIDEI non dormitantia fixit
Lumina, ceu Phœbus tenebroſas diſpulit vmbras,
Dira adamantæis innectens monſtra catenis.
Inde lues emiſſa orco, charadræque malorum
Exhauſtæ VIGILI Laurum perperère LEONI.
Hac age BOIE LEO fruere: hæc cæleſtibus auſis
Eſt ſeruata tuis, meritos arctura triumphos.

LOGOGRIPHVS.

ARCVI TRIVMPHALI MINDENSIS EPISCOPATVS INSCRIPTVS.

Quam caput infauſtum eſt, eſt tam mihi plena bonorum
Cauda. Luem totus venter abeſſe canit.

CHRONODISTICHON.

LEONI VIGILANTIÆ EPISCOPALIS INSCRIPTVM.

Is Leo forte tVVM generarIt BoICe PrInCeps,
SIC ILLe eſt fortIs, sIC VIgILatqVe potens.

XIV. VIRTVS EPISCOPALIS
CASTITAS IMMACVLATA.

Candida ſub duris conſurgunt lilia ſpinis,
Vernat vt hic animo Virgine CASTVS honos,

DECLARATIO EMBLEMATIS.

LILIVM inter ſpinas triumphat.mirum hoc Spinæ arido & infœcundo ſæpius ſolo excreſcunt,acuminatis telis quaqua verſum obſtantia pungunt,ſæpe etiam ſuccũ,ſanguinemq; contrectantium ſeſe eliciunt, ac profundunt. Quid ergo?lilium inter tantas difficultates fæcundius progerminet,ideoq; triumphet? Plane virtutis eſt CASTIMONIÆ hic triumphus. Triumphus Clero Chriſtiano dignus: triumphus Vitæ Epiſcopali digniſſimus, atque etiam ad perfectum eius ſplendorem ab Apoſtolo requiſitus. Quid enim?nonne ad Epiſcopalem ſellam admittendum, ait ille, tantum pudicum,continentem,vnius vxoris virum,quem Tertulliano teſte,SS. Patres Monogamum interpretantur? Ea eſt ad Timotheum, eadem eſt ad Titum Diui Pauli ſententia. Nihil hic libidinoſe Hæreſeos Canis oblatres, nihil impudico ore obgannias, in vanum hic ad Epiſcopatus ſubſellia Vxoratum aliquem cum adiuncta ſibi Helena depoſcas; nihil talis ad Apoſtoli mentem facit; ad tuum Helleboro egens cerebrum, ad tuam tantum petulantiam nonnihil ſopiendam conducit. Sit pro te egregius abdominis curator Lutherus;à te ſtet etiam (ſi Veneri placet) præpoſteræ libidinis egregius miles Caluinus; A nobis eſt,hæreſi 59. magnus Epiphanius;à nobis eſt ep: 82 Doctor Ambroſius: à nobis etiam eſt in Epiſtolã ad Titum S.Hieronymus. Vis plures? nobiſcum conſentit c.18.de bono coniugali Auguſtinus; nobiſcum facit hom: 2. in epiſtolam ad Titum Chryſoſtomus: nobiſcum cõſpirat epiſtola ad Afros Leo Pontifex Sanctiſſimus:nobiſcum eâdem vehuntur naui Sexcenti alii purioris ſententiæ viri doctiſſimi, qui omnes pudicum plane, ac continentem requirunt Epiſcopum; aut ſi is haberi non poſſit,aliuſq; ſit virtutis homo ſingularis,qui à primo coniugali vinculo ſolutus,nullius præterea Abiſagis conſortium,licet honeſtum, admiſerit,eum ad Epiſcopalem Mitram,Pedumq; admitti poſſe volunt, quod in bigamo,trigamoue ſenecione,nõ ſine incontinentiæ ſuſpicione, fieri poſſe ſapientiſſimi Patres exiſtimarunt. Eſt hic itaq;, quod ſibi gratuletur MITRA MINDENSIS,eo potiſſimum nomine,quod non communis tantum,ſed quod primæ etiam nótæ VIRVM,Eumq; Eccleſiaſtici pudoris propugnatorem zeloſiſſimum ad Epiſcopatus gubernaculum videat adhiberi; eſt vero Tibi Caſtalis noſtra,quod caſto,ac pudico capiti Lauream,& Roſmarino intertum ſertum imponas.

LAVRVS XIV.

CASTIMONIÆ EPISCOPALI INTER SPINAS AVLÆ EFFLORESCENTI INIECTA.

MIracla cælo cognita concino,
Miracla Mundo rara leuiſſimo.
Fauete Phœbeæ Sorores,
Virgineis cano digna chordis.
En colla vernis candida ſurculis
Vallata circum LILIA ſentibus
In aſtra tollunt, nilq; ſpinas
Aſparagi faciunt acutas.

Dumo-

Dumoſa pungant vndique ſpicula?
Armiſque ſentes vulnificis premant?
Nec ſpiculorum vim, nec arma
LILIGERI metuent nitores.
Caurus procellis irruat horridis?
Crudeliori flet Boreas gelu?
Nec noſtra LILIETA Caurum,
Nec Boreæ timeant furorom.
Brontæa ſpargat tela Dieſpiter?
Et Æthra totos Teutonici maris
Effundat imbres? LILIETI
Nil ſpecies populanda noſtri eſt.
Tantumne flori roboris vnico?
Et tanta molli marmora LILIO?
Plane. VERECVNDI PVDORIS
PROPOSITVM SVPER ÆRA FIRMVM EST.
Hæc CASTITATIS robora VIRGINIS,
Hæc CASTITATIS marmora PRÆSVLIS
MINDENIANI, quem propago
BOIVGENVM decorat PARENTVM,
HÆC inter aulas creſcere Principum
Interque menſas viuere diuitum
Aſſueta VIRTVS, Virginalem
Primigenum tenuit pudorem.
Cupido tectis luminibus quidem
Crebro pharetras miſſilibus ſuas
Exhauſit, obtruſitque mella
Idaliæ medicata Lenæ;
Sed mox repulſam paſſus, adoream
Victorioſo præbet EPISCOPO.
O Victor hac fulge decorus
Seraphicis ſociande turmis.

ACROAMA EPIGRAMMATICVM.

ILLVSTRI VIRGINALIS CASTIMONIÆ CVLTORI DECANTATVM.

GRatior an ſit odor Violæ, Demiſſio mentis;
Quam Roſa virginei candida cordis olet?
Vtraque florigero creuit ſub Nazareth horto,
Et Domino vernans iſta, vel iſta placet.
Quid Tibi Boiugenûm Decus ô FRANCISCE parentum,
An placet hæc Violæ purpura, nixue Roſæ?
PRÆSVL vtramq; probas: decoras Te Præſul vtrâq;
Mentis odor Violæ, carnis odorq; Roſæ eſt.

PROBLEMA LOGOGRIPHICON.

E PROPRIETATIBVS MINDENSIS EPISCOPATVS DEPROMPTVM.

Quì ſine fronte duos refero Mauortis Alumnos?
Tunc ego corde carens viuo pudoris inops.
Quì ſine fronte meum perimi mandauero gnatum?
Tunc ſine fronte nouâ verba ſalutis edo.

CHRONODISTICHON.

LILIO CASTITATIS EPISCOPALIS ADSCRIPTVM.

CanDIDa qVos Inter ſpInas roſa ſpargIt honoreIs,
Hos DVIt AntIſtes VIrgInItate sVa.

XV. VIR-

XV. VIRTUS EPISCOPALIS
CLEMENTIA.

Tela trisulca Iouis plumâ requiescere molli
Cernitis? est CLEMENS Principis illa manus.

PHOSPHORVS EMBLEMATI PRAELVCENS.

PRocul hinc, procul este Tyranni: procul hinc IPSE PERILLÆO PHALARIS QVI FECIT IN ÆRE EDERE MVGITVS, ET BOVIS ORE QVERI. Procul omnis barbaræ immanitatis næuus: Igni, & aqua quidquid crudelitatem spirat, ab Episcopali tentorio procul arcemus. Hic in mollissimo puluinari, trisulcum fulminis telum, potens alias & inuictum, nunc quasi inerme, atq; inualidum, sine clade, sine vllius læsione quiescere conspicare, & in eo CLEMENTIAM Potentissimi Principis ac Herois intellige, & admirare. Ea est quæ Regum, Principumq; nomen illustrat summopere: Ea est, quæ eorundem thronos roborat constantissimè: Ea est, quæ subditorum animos sibi deuincit arctissimè. Vis hominis laudem illustrantem videre? Cogita quantum decus Moyses in suo ceruicosorum hominum imperio sit cōsecutus: cogita gloriam, quam ab Inimico sibi Cinna reportauit Augustus: cogita nominis splendorem, quem à fratre sibi insidiante retulerit Vespasianus: cogita famam, quam à seruatis hostibus adeptus est iunior Theodosius; hæc omnia ab una dimanarunt CLEMENTIA. Cupis corroborantem thronos cognoscere? Misericordia, & Veritas, ait Salomon Prou. 20. custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius. Desideras animos sibi deuincientem animaduertere? Recordare quantum Senior Theodosius non solum Antiochenos sibi, sed omnes suo imperio subiectos conciliauit, cum Antistite Flauiano deprecante, iniuriam sibi in Aulæ suæ Præfecto illatam, clementer ignouit, monuitq; Episcopum, ut celeriter ad suos, ne diutius in luctu ac mærore hærerent, reuerteret. Magna omnino CLEMENTIÆ gloria! quæ si tantum sæculi illius Principes exornauit, quantum illa decus, & ornamentum conferet nostris Ecclesiæ Prælatis ac Gubernatoribus! Fruere eâ, quam Tibi arctissimè despondisti FRANCISCE GVILIELME, fruere, & recenter ea in nouo Episcopatu Tuo MINDENSI splendesce, & vt Pallas nostra eam CLEMENTIÆ Laurum capiti Tuo innectat, indulge.

LAVRVS XV.

PRÆLATA ET DEDICATA MAGNÆ PRINCIPIS NOVI MINDENSIS CLEMENTIÆ.

ROmani Imperij grande decus tui
O Auguste, throno nil timeas tuo:
Quamuis inuidiæ toxica nutriant
Contra te rabidi Canes:
Cædem Cinna quidem Lucius apparat;
Atreis oculis iam loca destinat
Opportuna neci; iam polit impium
Mucronem caput in tuum.

Inten-

Intentes meritas flagitiis minas?
Præfigas oculis ſanguineis cruces?
Nil toruum Iuuenem flexeris omnibus:
Conceptum ſtatuet ſcelus.
At ſi (quod thalami Liuia pars tuï
Non impulſa malis ſuadet amoribus)
Des Cinnæ medicam ſanguineo manum,
CLEMENTEM veniæ manum;
Fors qui præpoſitis ſupplicij minis
Nunquam mente ferum poneret Atreum,
Auguſti immeritis captus amoribus
Iras exueret truces.
Factum eſt. dat veniam Cęſar, & impium
Conceptum facinus Memoſyne pia
Letheis abolet fluminibus; choros
Inſtaurant Charites nouos.
Mox quantis fuerat Cinna furoribus
Impulſus, calidis tantus amoribus
Faſces Cæſareos proſequitur, PATREM
AVGVSTVM celebrans SVVM.
Sic quem non clypei mille, nec Ægides
Tutum Palladicæ, non adamantini
Mucrones Siculi præſtiterint rogi,
Hos CLEMENTIA proteget.
O felix igitur BOIVGENVM LEO!
Felix MINDA tuus BOIVS EPISCOPVS!
Nam cum tergeminæ vos Charites regant,
Et blandas faueant opes;
Cum duris etiam ſæpius hoſtibus
Amplexus Charitum detis ouantium;
TVTI PRÆSIDIO SITIS OLYMPICO,
Nec vis hoſtica ſubruet.

CLEMENTIÆ PRINCIPIS BAVARICI ACCLAMATVM.

ODimus Accipitrem, quod ei ſint Martia cordi
Prælia, pennigerum queis premit vſque genus.
Odimus agreſtûm rabiemq; , gulámque luporum,
Semper enim fluuio ſanguinis ora lauant.
Grata ſed eſt nobis Pandione nata volucris,
Et quia felle caret mitis, amatur auis.
Sic quia lanigeræ nunquam crudele bidentes
Diſſidium faciunt, ſemper amantur oues.
Quanti igitur tua BOIE LEO eſt CLEMENTIA amoris;
Quæ, cum ſæpe queat glubere, ſemper amat?

PROBLEMATICVS PROTEVS AB EPISCOPATV MINDENSI DESVMPTVS, OMNIBVS HISTORIARVM, Literarumq; Scrutatoribus dedicatum.

Quis tibi theſauros monſtrat lacus vnus apertos,
Qui mox conuerſo flumine clauſa canit?

CHRONOLOGICON TENTORIO DIVÆ CLEMENTIÆ INSCRIPTVM, NOVOQVE PRINCIPI MINDENSI DEDICATVM.


Ira faCeſſe foras, sVaVeIs CLeMentIa ſensVs
ProCreat: hanC PræsVL perfICe, gratVs erIs.

XVI. VIR-

XVI. VIRTVS EPISCOPALIS
HVMILITAS.

Pusio Gallinæ iunctus, MINIMEq; SVPERBVS,
Sordidulo nunquid gemma reperta fimo est?

EXPOSITIO EMBLEMATIS.



CVm teste S. Gregorio epist: 54. lib. 2. ad Ioannem Episcopum Rauenn: nihil in Episcopali ceruice splendidius fulgeat quam humilitas, Optimè & sapientissimè eos Sapiens Eccl. 3. monet dicens: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram DEO inuenies gratiam. Porro in nostro Emblemate docet hanc exterioris quidem hominis demissionem, in fimeto degens granaq; frumentaria, necnon reconditas quandoq; gem̄as Gallina reperiens; Interioris autem demissionis, simplicissimiq; candoris indicium refert Reguli Pusionis chartacea se se mola oblectantis, atq; etiam in humili loco, perinde atq; in Aula regia lusitantis simulacrum. Hoc certum vtriusq; Hieroglyphicum, magnum est vitæ Episcopalis ornamentum, magnum decus est, & singularis plane laudis argumentum. Vult enim Apostolus in 1. ad Tim. 3. & ad Titum 1. Episcopum esse ornatum, vult modestum esse, vult non esse superbum. Ornatum inquam? plane. Sed ornatum cultu, qualem requirit Ambrosius lib: de dignitate Sacerdotali, se, suosq; collegas, Mitratos scilicet Aarones cōmpellans. Quod si (inquit) iuxta sensum literæ tantum respiciamus, non aliud Sacerdotes, quam amictum quærimus clariorem, verbi gratia, Castorinas quærimus, & sericas vestes, Et ille se inter Episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem; Sed Apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne Episcopū, sed mente decet esse ornatum: Vt ille Sacerdos placeat DEO, qui animam habuerit compositam eidem Domino. Vides hic primam Humilitatis palmam; cupis & alteram? Dat idem Doctor gentium, Episcopum volens non Neophytum, ne in superbiam elatus, in Iudicium incidat Diaboli; iudicium nempe superbum, pertinax & ab Ecclesiæ Sanctæ iudicio alienum. Qui eiusmodi est, HVMILIS non est gallina, Accipiter est superbus, post vltima vitæ fata non cū hac Diuorum epulis inferendus, sed cum illo tāquam putre cadauer in sterquiliniū Haræ infernalis proijciendus. Procul hoc ab Humili, & innocētis Vitæ Episcopo; p̄cul hoc à Christi Paruulo, procul hoc ab Eo, qui Christianę Humilitatis suo Gregi sancto prælucet Exemplo Nunc age Pieris hanc Laurum Humilitatis Nouo Mindensi EPISCOPO FRANCISCO GVILIELMO, porrige, & applaude.

LAVRVS XVI.

VLTIMÆ ET PRIMÆ VIRTVTI EPISCOPALI SANCTÆ HVMILITATI INIECTA.

O mira res Puelli!
Adeste adeste prompti:
Cælestis eia regni
Adeste Canditati.
Videtis hic tenellum,
Pulchellulum puellum,
Narcissulum rubellum?
Videtis hic pusillum,
Regemq; Pusionum?
Rex est diu petitus.

O mira res Puelli!
Adeste adeste prompti:
Cælestis eia regni
Adeste Candidati.
Videtis hic olentem
Inter fimi mephitim;
Interq; sordidatas
Bouilis officinas;
Puerum videtis, inquam,
Hic lusitare IESVM?

O mira

O mira res Puelli!
Adeste adeste prompti:
Cælestis eia regni
Adeste Canditati.
Videtis hic volucrem,
Domesticam volucrem,
In Endor exulantem?
Videtis hic sepultas
Sub sorde margaritas
Auem resuscitantem?
O mira res Puelli!
Adeste adeste prompti:
Cælestis eia regni
Adeste Candidati.
Hic regius Puellus
Regum relinquit aulas,
Pompasq; Romulorum;
Captatq; peruolantum
Chartaceis tabellis
Spiramen Africorum.
O mira res Puelli!
Adeste, adeste prompti:
Cælestis eia regni
Adeste Candidati.
At at boni Puelli,
Hic MYSTICAS petendi
Notate RES olympi.
Rex iste pumilorum
Demissa mens regentum,
Mens est EPISCOPORVM.
O mira res Puelli!
Adeste, adeste prompti:
Cælestis eia regni
Adeste Canditati.
Hæc scena lusitantûm,
Est candor innocentum,
Ludentiumq; mundum:
Est Scena GVILIELMI,
PATRISq; Seraphæi
Mundana despuentûm.
O mira res Puelli!
Adeste, adeste prompti,
Cælestis eia regni
Adeste Candidati.
Res tota dat Mitratum
Episcopumq; magnum
E stirpe BAVARORVM:
FRANCISCVS est WILHELMVS
Princeps, Comesq; BOIVS
Sibique mente paruus.
O mira res Puelli!
Adeste, adeste prompti:
Cælestis eia regni
Adeste Candidati
Sic ad Sodalitates,
Ad lusitationes
IESVS requirit omnes:
Sic ad suas palæstras,
Et ad suos labores
Minor vocat minores.
O mira res Puelli!
Adeste, adeste prompti:
Cælestis eia regni
Sic este PVRPVRATI.

EPIPHO-

EPIPHONEMA

HVMILITATI EPISCOPALI NOVI MINDENSIS PRÆSVLIS ACCLAMATVM.

ITe Gigantæis ſublimia regna petentes
Auſibus, ad Siculi carceris ite ſpecus.
I Phaëthon proles Clymeneïa ſperne coruſci
Iuſſa Patris, tumidi ſi placet vnda Padi.
I tumide Æolides imitare triſulca Deorum
Tela, Acheronteis corripiende rogis.
BAVARVS Antiſtes ſectabitur infima. qui vult
Tutus ad aſtra vias ire, per ima poteſt.

ARCANVM VRO-CARCINOMATICVM.

NOVO MINDENSI EPISCOPO ACCLAMATVM.

CHambras gri Lagoras fraden Scomandre
Bigandrid parauen Phari chadochem:
Phars Lambru chorep harcabo pharondac
Lambayas veradi cholup Schomandre.
Camprat Sambara ſcru barungi gandru
Schro gardi barat aſca tau bri chondru.

CHRONODISTICHON.

MINDENSIS THRONI EPISCOPALIS SVPPEDANEO AVREIS LITTERIS inſcriptum.

PrInCIpe DeMIſſo sVperIs sI gratIVs orIs
Non sIt, qVIs BaVaro gratIor eſſe poteſt?

APPEN

APPENDICVLA CATENÆ AVREÆ VIRTVTVM EPISCOPALIVM.

IN quam, quicquid chartæ anguſtiis impeditus Typographus ſuo loco ponere non potuit, ne annulus aliquis CATENÆ AVREÆ deeſſe videretur, reiecit. Tu mi LECTOR, ſuo quodq; loco ſi legere placet adnecte, catenamq; perfice.

AD LAVRVM IV.

PROSPHONEMA ANAGRAMMATICVM BAVARO PRINCIPI NOVVM MINdenſis Epiſcopatus Ouile commendans.

BAVARE Mindenſi concredite PASTOR ouili
Paſce tuas Chriſti dogmate gnauus Oues.
Si trux ore Lupus Codanæis miſſus ab oris
Irruat, huic valido bella minare PEDO.
Si ſectentur Oues Cocytia teſqua, ruboſque,
Intentare ſacri verbera perge PEDI.
Si tunc ſæua Lupi rabies, vel caula minantem
Ad meliora ſequi ſpernat, utrumq; feri.
Non eſt hoc odium Gregibus ſic ferre ſalutem:
Talia ſyncerus pharmaca præbet Amor.

AD LAVRVM VI.

GRIPHVS ÆNIGMATICVS IN MINDENSI MITRA RECONDITVS.

Sunt mihi ſex Fratres. numerant tres multa. premunt tres.
Quatuor Æthra petunt. Quatuor ora colunt.

CHRONODISTICHON.

EIDEM LAVRO ET IVSTITIÆ BILANCI INSCRIBENDVM.

IVſtItIæ CanoneIs ſaCra FranCIſCe bILanCe
DIrIgIs; haVD popVLo gratIVs eſſe poteſt.

AD LAVRVM XIII.

PROSPHONEMA VIGILANTIÆ PASTORI MINDENSIS OVILIS VIGILANTISSIMO ACCLAMATVM.

NOn Tibi ſomniferi Lethæa papauera Morphei
Excutiam PRINCEPS, PASTOR ut euigiles:
Lumina ſunt BAVARO nunquam cõcluſa LEONI:
Nec Tibi peruigili eſt Endymionis opus.
Si tamen à noſtrâ plauſum vis ferre Camœna;
Te, vouet, ut par eſt, aduigilare Gregi.
EVIGILARE decet ſomno, & marcore ſepultos;
Paſtoreſq; bonos ADVIGILARE decet.

CANCER RETROGRADVS.

IN FONTIBVS AONIIS CAPTVS, ET REVERENDISSIMO MINDENSI EPISCOPO OBLATVS, rediturǽq; felicitatis prognoſticon Veteri Saxoniæ demonſtratus.

SAxonicæ PATRE TE Patriæ Plebs plaudat, ouanſq;
Lætetur Domino ſe dare Boiugenæ.
Saxonico bene nam Paſtor Tu prodes Ouili:
Lætetur minime ni bene profueris.

AD LAVRVM XIV.

CHRONOLOGICON DVPLEX.

LAVREÆ CASTITATIS EPISCOPALIS ADNECTENDVM.

CLarVs VIrgInIo pVDore PrInCeps
FranCIsCVs trIpLICI raDIt tIara:
QVa, sI MInDa tIbI Phaѣnes perIret,
PræsVL BaVarVs eſſe LVna poſſet.

AD

AD LAVRVM VIII.

PROSPHONEMA FORTITVDINIS IN STRVTIO-CAMELO ADVMBRATÆ, FORTI MINDENSIS OVILIS CVSTODI BAVARICO LEONI APPLAVDENS.

STrutio pennigeri fortiſſima gloria regni,
Sæpè etiam Marſi Strutio victor apri,
Quid chalybis venæ, duri quid ſemina ferri
Per tua ſe iactant, ceu tener, ora, cibus?
Forte tui marmor ſtomachi inuiolabile prenſat
Talia ſubiectis pabula danda focis?
O calor! o marmor! o robora fortia! tales
Vincere ferratas quæ potuêre dapes.
Sed neq; ſunt procul hęc ſtomachi quęrenda Cameli
Robora. marmoreo pectore fixa ſcio.
Talia BAVARICI ſunt robora firma LEONIS:
Aſpera Fortunæ vincere tela queunt.
Macte LEO: Mitrate LEO Mindenſis Ouilis,
Aſpera vince, DEI robore, cuncta potes.

AD LAVRVM XI.

ACROAMA SYNCERÆ PACIS, IN OLIVA ET CORNV-COPIÆ ADVMBRATÆ.

MInda quid hoc? Ergone tuis Pomona viretis,
Flaua Ceres, Zephyri Flora marita redit?
En tibi plena rubris conſurgunt CORNVA pomis,
Purpureiq; omnis gratia veris adeſt.
Ergon' Amaltheæ fundunt tibi CORNVA Diuę
Munera Pęſtanis nobiliora ſatis?
An tibi TAVRIPOLIS fœcundo Copia CORNV
Oſnabrugiacis miſſa triumphat agris?
Cerno, ſalutiferæ redit undans Copia PACIS;
A BAVAROq; nouo PRINCIPE miſſa redit.
O bona PAX, Sacræ Fidei PAX aurea! qui te
Reddit, Ei Cornu PACIS Oliua replet.

PARERGON VI.

ARCANVM APORRHETICON ANACREONTICON.

NOVO MINDENSI PRINCIPI

OPTIMO PATRI, HAS HIPPOCRENES GVTTV-
las,Dans,Dicans,consecransq;.

HARBAX CARFROCANAS CISABOCHA IEROMPRINA SCERDAPS
SPARAT HATERSIQVEBACH CLODRIOBLÆDRA DVMAT,
PHARNOS CHONSTRASIRAS SITIBARBIRA SARCA GRAMENDRAS
SPARDIGA GNOSTISADES SCRAMBA MVSARCHOMENES:
HARNOGRA STOCHRAMAGOT STIRABINGA COHOROBRA NAMBROT
STIRIERO SVARCODAMAS MVSTRASO SPINDA GLESAT.
BORCAVROSSAMARES REGAQVIRNA SIRISTAT? HEBRÆCHEST
SCHMIRRA TROBAMCA FAGOT VERDAMVS OMCHA CHORES.
SCAVRASAMANDRE RAQVIDT SABARISTA SCHVMANDRIA IVSDIT?
PANTENAROS STAMARAT MVSTACA SCOMBRA SCHINES.

PARERGON VII.

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM
CAVSAS OBLATIONIS COMPLECTENS.

SVscipe BOIVGENVM splendor FRANCISCE Leonum,
Quæ Tibi Pierio missa CATENA iugo est.
Non ea Dalmatico radiat satiata metallo;
Nec fuit Hesperio filia nata Tago:
Ebria Pangæo non hæc splendescit in auro;
Sed neque mater ei est aurea dicta Thasos.
Non riget auratis Hermi radiantis arenis;
Nec bibit illustres ditis Idaspis opes.
Est tamen aurifluis nexus excocta caminis,
Pactoloque micat, nobiliorque Tago.
Vndique gemmantes vinclis complexa nitores
Iaspide fulgidior, Chrysolithoque micat.
Accipe digna Tuis est BOIE LEONIBVS: Illi
BOIA fuit Virtus Mulciber; Ignis Amor.

CORO-

CORONIS

CATENÆ AVREÆ VIRTVTVM EPISCOPALIVM.

MVſarum Colophon adeſt CORONIS.
Iam nunc Pieridum manus ſacrarum
AVRATÆ ſtudiis piis CATENÆ,
Cui VIRTVS Faber eſt EPISCOPALIS,
Poſtremum tenet, Annulumq́ue Finis.
Muſarum Colophon adeſt Coronis.
Magno Cælicolum fauente regno
Iniecta eſt humeris CATENA Boiis,
Et digno Capiti BAVARIANO
MINDENSIS data ſplendicat TIARA.
Muſarum Colophon adeſt Coronis.
CLAVES Mindenidum notæ Penatum,
Vt contra ſtygii Canes barathri
CLAVAM ſufficiant potentiorem,
Io BAVARICO tenentur HERCLI!
Muſarum Colophon adeſt Coronis.
Nouorum ſegeti datæ laborum,
Nouorum data meſſis eſt honorum:
Nunc IESV referat faces Amorum.
IESVS ET COLOPHON, ET EST CORONIS.

SOLI DEO

HONOR ET  GLORIA

In ſæcula ſæculorum,
AMEN.

ÆRV-

ÆRVGO
ERRORVM TYPOGRAPHICORVM
ſic abſtergenda.

IN CATENA AVREA LEGE.

IN Emb: Initiali Ver:17.tutelam. In Epinic.pag:4:verſ.ult:ſine puncto. pag:5.verſ ult. Sacratam & ſine puncto. pag:8 Thaumantias verſ.11. In Laur.1.pag.1.verſ.ult. Viſurgim. Laur 2.pag.2.verſ. 14. depopulantibus. verſ.26. Dilata. In Virt.3.verſ.27. A Charitate. In Laur.3.pag 1.verſ.3. Ætnæos.v.10. Antris. In Laur.4.pag.2.v.7. Cauendum. In Virt 5.uerſ.15: pruinarum. verſ.23. generoſe. In Virt 9 verſ.10. Humiliantis. verſ,15. Omnipotentem. pag. 2. LAVRVS IX. In Laur. XI. Ceremoniîs. In Virt. XI. verſ,15. exiſto. In virt 12 v.12 propitiationis. In Virt 13.v.19. Concreditis. In Laur.13.pag. 1.v.25. Cimmeriis. In Virt.14.verſ.ult. Intextum. In Laur. 15. verſ. 25. Mnemoſyne. In Proteo 2. poſt Laur.15 dedicatus. In Laur. 16. tit. Chronodiſt Inſcriptum. ✠. Aliquoties lege candidati, pro t,d. Alia Beneuole Lector pie lege, & corrige.

IN OGMIO HERCVLE BAVARICO
repente è manibus excuſſo, LEGE.

IN Euolut. Anag:pag:6.verſ.19. Zwingæas, non Alræas: Et in margin: Zwinga non Alra. quidam ſub prælo correxit, quod bene poſitum fuit. pag: ult: Euolut, verſ 13. Tunc non Tum. In Plauſ. ad 2 lab Herc, Furias, non Furiæ. In Emb. 9. lab. Adeſdum, bis. In Corona 3. pag. 2. verſ. 3. Maximiliani non Maximiliani. verſ. 21. ibid. quanta, non quantum. In Emb lab. 4. Cerua, non Serua. Ibid. Græci Fera, non Græcifera. Ibid: Spretis, non ſpetis. In Coron. 4 verſ 9. Cerberei non Cerberi verſ. 14. Gerro, non Gerio. In Emb: lab. 5 Luminaria, non luminarium. Ibid. Stymphalides, non Stymphalidos In Coro: 5 verſ 22. pag. 1. Gebennæa, non Gehennæa. Ibid. pag. 2. Phlegethontia In plauſ. ad lab. 5 Feras, non foras. In plauſ ad lab. 6 verſ. 3 Nouus, non nouas. In Coro: 7. pag, 2 verſ. 5. Doctus, non Doctas. Ibid verſ. 6. Decorat, non decorant. verſ 19. edomitaſq;, non edomituſq;. In plauſ. ad lab. 7. Metanœa, non æa. In Coro: 8. verſ. 13. ex hoc, non ex hac. Ibid: pag. 2. Wartbergiana, non Wartenbergiana. In Coro: 10. verſ. 2. Palæſtra, non eſtra. In Embl: lab 11. verſ. 3. amœnum, non ænum. In Embl: lab: 12. verſ. 9. Templum Laboris, non Templum Honoris. In Coro: 12. verſ. 21. Tertia, non Tertio. Verſ. 23. Typhoeûm, non Typhœum. pag. 2. verſ. 5. Tænarii, non Tenarii. In plauſ: ad lab. 12. verſ. 7. Phaneta, non Planeta. In plauſ Final: Myſticus, non muſicus. In Epilog: pag: 2. v. 9. cupis, non capis. pag. 3. v. 7 Epiſcopalis, non Epiſo opalis, &c quæ Pie Lector emenda.

BENEVOLO LECTORI,
DE ÆRVGINE ERRORVM TYPOGRAPHICORVM.

ERgo etiam Rubigo poteſt tibi ſpargere Lepras
AVREA Mitrato facta CATENA viro?
Credideram ferrum tantum Rubigine tingi,
Eſſe Typographicam nunc quoq; cerno Lepram.
Quis Mentor vitium tollat, Medicuſue Machaon?
LECTOR AMICE, pia tollere mente potes.

